





1789.1  
333.  
6  
1

DISCURSUS POLITICO-CANONICVS  
AVTHORITATEM  
SACERDOTII  
IN TEMPORALIA ECCLESIAE  
CANONE ET LEGE PERPETVO TUTAM  
IMPERIO INNOXIAM SISTENS.

QVAM CVM SVBIVNCIS  
*EX VNIVERSO IVRE COROLLARIIS*  
PRAESIDE

*PLVRIMVM REVERENDO, MAGNIFICO, CLARISSIMO ET  
CONSULTISSIMO VIRO AC DOMINO*

*D. IOANN E NEPOMUCENO  
ENDRES,*

SS. THEOL. ET I. V. DOCT. REVERENDISS. AC CELSISS. S. R. I. PRINCIPI ET EPISCOPO BAMBERG. ET WIRCEB. FR. OR. DVCI A CONSILIIS  
INTIMIS ET ECCLESIASTICIS, INSIGN. ECCLES. COLLEG. AD VTRVM-  
QUE SS. IOANN. IN HAVGIS CAN. CAPITVLARI, IN ALMA NOSTRA  
IVLIA SS. CANONVM PROFESSORE PVBL. ET ORDIN. FACVLATATIS  
IVRIDICAE ET TOTIVS VNIVERSITATIS SENIORE;

PRO DOCTORIS GRADU  
EMITTIT

*WILHELMVS SARTORIVS,*  
PHILOS. DOCTOR, INSIGNIS ECCLESIAE COLLEGIATAE AD S. SIMEONEM  
TREVIRIS CANONICVS, SS. THEOLOGIAE ET IVRIVM CANDIDATVS  
EMERITVS,  
TRIBVS EXAMINIBVS RITE TENTATVS ET ADPROBATVS.

WIRCEBURGI IN AUDITORIO IVRIDICO  
DIE 25. MAI I ANNO MDCCCLXXXIX.

Typis Francisci Ernesti Nitribit, Vniuersitatis Typographi.





DISCVRSVS POLITICO-CANONICVS  
AVTHORITATEM  
SACERDOTII  
IN TEMPORALIA ECCLESIAE  
CANONE ET LEGE PERPETVO TVTAM  
IMPERIO INNOXIAM SISTENS.

---

§. I.

**I**n felix sane & commune generis humani fatum esse solet, vt, si-  
c ut singuli homines ad dissentendum proclives esse consue-  
runt, ita societas plurim conuentione ad diuersos a se in-  
nicem fines coadunatae vix vnquam perfectam inter se confisionem  
adsequantur, aut saltē diu feruare nequeant inconcussam, aut im-  
perturbatam: Cum enim diuersae sint societas, diuersae quoque

A re-



relationes existunt; proprium commodum agit plerosque, ut non  
vniuerso, sed sibi studeant; quae res facit, ut, sicut vna pars, fa-  
ctio aut societas diuersum incolumentis suae & felicitatis finem ha-  
bet, ita quoque diuersis trahantur affectibus. Ecclesia tanquam  
societas Religionis & cultus diuini causa instituta & per infinitos  
populos, vti locorum situ & climate, ita & morum varietate a se  
inuicem longissime dissitos propagata, ex ipso fundatoris sui sanctissimi  
& sapientissimi legislatoris praecepto, tanquam regnum pacis &  
charitatis, in pace vocata & fundata sanctissimis ad hanc monitis  
informata fuit. Suos Ille Apostolos ad euangelizandam vbiique pa-  
cem misit\*, atque hi fideles suos, quae pacis sunt, sectari, atque  
hanc, si fieri potest, quod saltem ex ipsis est, cum omnibus homi-  
nibus habere iusserunt. \*\*

## §. II.

Cum vero Pax inter duos seruanda vtraque ex parte aequale sui  
studium praerequirat atque supponat; felicissima certe tempora illa  
& Reipublicae & Ecclesiae aestinari poterant, vbi Principes Reli-  
giofissimi maxima ex parte inde a CONSTANTINO ad Carelingicos at-  
que Ottonianos usque non minori, ac Praefules Ecclesiarum Con-  
cordiae, imo mutuae beneficentiae & deuotionis ac subiectionis  
studio inter se decertare videbantur. Religio atque Regio, & quae  
alter-

---

\* Lucae Cap. 10. v. 5. 6. Iosann. Cap. 14. v. 29. & Cap. 16. v. 33.

\*\* Rom. Cap. 12. v. 18. & Cap. 14. v. 19. I Cor. Cap. 7. v. 15. Cap.  
14. v. 33. Hebr. Cap. 12. v. 14.

alterutri praeest, vtraque potestas duae veluti sorores eundem suum Authorem Deum amatorem Pacis cognoscentes, atque imitantes mutuo se complectebantur. Quamuis enim Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus sic actibus propriis & Dignitatibus distinctis officia vtriusque potestatis discreuerit; intimam tamen & arctissimam coniunctionem ordinauit. \* Eo aeno quamplurima exhibentur Pontificum, Episcoporum vel Conciliorum circa omnes fere res temporales Decreta; iso pleraque Ecclesiae Concilia simul Imperii Comitia fuerant; \*\* sicut vicissim paucae sunt res spirituales, super quibus Leges Imperatorum & Principum Saecularium exhibere non possimus. Haec tamen Legum Ecclesiasticarum & saecularium quasi confusio tanquam ex corruptione Principum aut Praefulum scaturiens nequaquam accusari potuit, quasi non consistentes intra limites potestatis a Deo sibi concredita alienam sibi administrationem adrogarent, usurparentve, sed concordia, qua iungi inuicem debent, & studium se mutuo adiuandi germanae erant huius conspirationis causae. Ambae potestates se inuicem indigent, & Deus illarum Aucto r vult eos, quibus alterutram committit, sibi mutuam necessariamque ad continendos in officio populos opem ferre, comiterque se obseruare. Sacerdotium nimurum & Imperium harmonica po-

A 2

testate

---

\* Dist. 96. Can. 6.

\*\* Conf THOMASIN. P. II. Lib. 3. C. 46.

Petrus DE MARCA Lib. 6. C. 24.

BALVZ in Praefat ad Capitular. Aucto der Geschichte der alten Staatsverfassung von Frankreich, Deutschland und Italien 3. Theil, 16. Cap. von den allgemeinen Placitis.



testate & administratione exaequatur quidem, intra sphaeram tamen quodque suam, suoque in ordine, supremum atque independens.

### §. III.

Non aequali felicitate gaudere posterioribus saeculis perpetuo sicut. Iam inde enim a Saec. XI., dissensionis & divisionis murus conseruare coepit. Inuidiosum autem nimis esset alterutram partem dissidiis rixaeque auctorem priuato suffragio ream accusare. Securius certe fateri, quod & inter priuatos saepe contingit, utrobique quidpiam defuisse, quod ad conseruationem concordiae diurniorem desiderandum fuisset. Saepius frequentatae illi paroemiae locus est: *Iliacos intra muros peccatur & extra.*

### §. IV.

Plerique recentiorum schediasmatum Auctores prout sunt ad accusandos Pontifices, GREGORIVM praesertim VII., qui fere omnibus scopus ille est ad metam positus, in quem tot tensi sunt arcus, tot emissae sagittae; quod in temporalia Imperii inique manus suas extenderit, quod post censuram excommunicationis inflictam primum, absoluere, dein subditos a iuramento fidelitatis atque homagii, & Imperatorem HENRICVM IV. ab Imperii administratione suspendere, atque demum penitus deponere ausus fuerit, cuius exemplum INNOCENTIVS IV. \* IOANNES XXII. \*\* atque alii quidam Romani Pontifices integra Regna vel adimendo, vel in alios transferendo, atque insulas

---

\* Cap. Ad Apostolicae sens. & re iud. in Sex.

\*\* Cap. Si fratum vni. ne sede vacante ali uid innuncetur.

Insulas Novi Orbis pro arbitrio suo distribuendo atque donando,\*  
fuerint incompetenter & infeliciter imitati.

### §. V.

Patronos eorundem Pontificum qui agere velint, inter cordatiiores & solidiores Catholicos vix ullos hodie reperies. Ultra sphæram enim potestatis & autoritatis Ecclesiasticae eos transgressos fuisse fatentur. Malam tamen fidem vel peruersum passionis & persecutionis propositum ab iis abstergere si conentur, regulas iusti & aequi consecrari censentur. Factum enim si excusari nequeat, animus saltem, qui later, sub hominum iudicium non cadit, nisi eidentibus & ineluctabilibus indicis & rerum argumentis manifestatus fuerit. Zelum sane praeferuidum lumine scientiae pro genio propinquorum saeculorum radium plane destitutum, animum regulis Monasticis innutritum, domesticae obseruantiae ad statum publicum malam & imprudentem adapplicationem & extensionem, si cum debita supremo Capiti reverentia & modestia non tam redarguant, quam compatiantur: Nemo sane aut ignaros aut supremae potestati Politicae iniurios hosce Patronos putabit, aut iuste eis succensere poterit. Quid? quod bonis omnibus effatum illud Regis quandam Porussiae FRIDERICI immortalis memoriae, quem Vnicum nuncupant, Ier Nouellas nuntiatum quandam summopere placere debuit, quo vice PII VI. ad Clauum Ecclesiae nunc feliciter sedentis, qui a sensis & actitatis praememoratorum Antecessorum suorum longe alie-

A 3

\* Conf T't XI. de Insulis Novi Orbis in sic dicto VII. Decretal. Add.  
Bossuet def. declarat. cleri gallicani Lib. IV.

nus in salutem suorum subditorum temporalem laudabiliter simul intentus de exsiccandis Paludibus Pontinis cogitaret, condolere se testatus fuisse fertur, quod Antecessores eius uvam acerbam comederint, & ipsi post tot saeculorum decursum dentes obstupecere debeant.

### §. VI.

Sed scena nunc insigniter mutata obuertitur. Vbi enim temporalia Regum, id est, Coronas eorum, regnandi & succedendi ac suprematus Iura potestati Ecclesiasticae haud subiecta esse fatentur omnes moderni Iuris Ecclesiastici Doctores; Politici quidam nunc omnia etiam bona temporalia ad ipsas Ecclesias pertinentia, in easque vel ipsorummet Regum & Principum munificentia; aut aliorum etiam piorum fidelium fundatione collata, ipsumet Praelatorum Ecclesiasticorum potestati, inspectioni ac superintendentiae subtracta esse cupiunt; quorum sane opinio Iura Ecclesiae & Religionis insigniter violare mihi videtur.

### §. VII.

Vehementer tamen obsecro, ne, dum vnum extremum impugno, alterum a me asseri & propugnari velle existimetur. Nequaquam enim inde infero, Bona temporalia eo ipso suo in Ecclesiam transitu ab omni cum Republica ciuili nexus absoluvi, & ab omni potestate Magistratus Politici sub quoquis intuitu eximi, sed fines tantum & limites cuique suos fernari exopto. Dominium enim eminas, quod vocari alias solet, ac Reipublicae secundum naturam & indolem honorum eorundem alias competit, & suo sensu inabdicabile merito dicitur, ab ipsa eminentia superintendentia in administra-

— — —

strationem eorum separandum puto, sicut illud a priuatorum & singularum ciuium proprietate longissime differt. Elegans, quamuis verbis non sat accuratis distincta, quoad mentem tamen iisdem significatam & ab authore intentam apprime consona hanc in rem est  
LVII ANNAEI SENECAE sententia:<sup>\*</sup> „Iure ciuili omnia Regis sunt:  
„ & tamen illa, quorum ad Regem pertinet, vniuersa posseſſio, in  
„ singulos Dominos descripta sunt, & vnaquaque res habet posſeſſio-  
„ forem suum. Itaque dare Regi & domum, & mancipium, &  
„ pecuniam posſumus, nec donare illi de suo dicimur. Ad Reges  
„ enim Potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas. Fines  
„ Atheniensium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se  
„ vicini priuata terminatione distinguunt. Et totus ager huius aut  
„ illius Reipublicae est; pars deinde suo Domino quaeque censetur.  
„ Ideoque donare agros nostros Reipublicae possumus, quamuis  
„ illius esse dicantur; quia aliter illius sunt, aliter mei. Omnia  
„ Rex Imperio possidet: singuli Dominio. „ Quod enim ciuibus  
singulis aut integris familiis atque Collegiis in Republica existenti-  
bus adseritur, Ecclesiae haud denegatum cupio.

### §. VIII.

Imo, vt liberalis sim, multiplicem illius potestatis eminentis Partem in Thesi saltem, spectato iure naturali aut diuino tribuere non recuso, legislatiuam videlicet, iudicatiuam & executtuam, de-cepti-  
nariam & translati-  
uatio

---

\* SENECA de benefic. lib. VII. Cap. 4.



natio totius aliter atque sine hac parte haud obtinenda vel ineluctabilis quedam necessitas exigit. Limites vero & moderationes, quibuscum ad finem praedictum dominii praememorati eminentis, vel potius Imperii exercitium, ac potestatis politicae dispositio exferre se debeat, enarrare praesentis instituti haud est, atque harum pagellarum angustias longe excederet. Praesentis Discursus scopus est, inspectionem & superintendentiam in administrationem bonorum ad Ecclesias pertinentium, quatenus ad cultum diuinum, in sustentationem ministrorum & Ecclesiarum, & quoescunque pios usus a fundatoribus intentos, ad sobriam & frugalem adapplicationem, quae Statui Ecclesiastico conueniat, ac praeципue etiam regularium votis haud contradicat, Ecclesiae, eiusque Praelatis secundum hierarchicum systema superioribus ita propriam esse, vt ab ea citra iniuriam excludi & prohiberi nequeat, id quod ex iure diuino & naturali siue vniuersali publico, vti nuncupari amat, ac humano, Ecclesiastico non minus, quam Civili communi, siue Iustinianae Romano aequa ac particulari Germanico omnis aeu, succincta ac breui argumentorum adlegatione siue enumeratione potius, quam Deductione, adserere animus est.

### §. IX.

Iuri Diuino V. T. hic immorari consultum ipsem non existimo. Notorium autem fatis est eiusdem principium Libro Léntici.  
 „Quod si quis agrum Possessionis suae voverit & consecraverit Domino,  
 „sanctificatus erit Domino, & possessio consecrata ad ius pertinet  
 „, Sacer-

---

\* Cap. 27. v. 8. 9. 11. & 12.

„facerdotum. „ Vnde & iudicium desuper atque valoris aestimatio  
eidem defertur, atque committitur Libro Num. \* locutus est Domi-  
nus ad Moysen dicens: „ Loquere filii Israel: omnes primitiae,  
„ quas offerunt filii Israel, ad Sacerdorem pertinent: & quidquid in  
„ Sanctuarium offeratur a singulis, & traditur manibus sacerdotis,  
„ ipius est. „ Et iterum \*\* plurimis similibus iteratis effatis ab-  
undat: „ Locutus est Dominus ad Aaron: Omnia, quae sanctifi-  
cantur a filiis Israel, tradidi tibi & filiis tuis pro officio sacerdo-  
tali legitima sempiterna. Haec ergo accipies de his, quae sancti-  
ficantur, & oblata sunt Domino. Omnis oblatio & sacrificium  
& quidquid pro peccato, atque delicto redditur mihi, & cedit in  
sancta sanctorum, tuum erit & filiorum tuorum. „

§. X.

Nolini tamen mihi obmoueri communem illam atque veridicam  
alias paraemiam: Ex Republica illa Theocratica nullum conuincens  
in hisce rebus ad Nouae Legis Ecclesiam inferri posse argumentum.  
Praeceps enim certas praefationum species in usum proprium  
ac sustentationem Levitarum persoluendi, puta decimas, primitias,  
reliqua, utpote particulari illius populi Politiae accommodatum,  
cessare omnino admittitur; Quae vero praeter congruam sustentatio-  
nem Ministrorum, Iure Naturali debitam, licet indeterminatam, ad  
Dei cultum & usus Religionis intuitu Dei sponte contribuuntur,  
quod idem est, Deo dedicantur, dispositioni & administrationi

B

Min.

\* Cap. 5. v. 9. ad. 1. missione erit auro.

\*\* Cap. 18. v. 8. 9.

Ministrorum cultus diuini addici, & in usus ab offrentibus & deuuentibus Deo intentos committi velle, sensum communem fuisse, infinitis ostendi poterit testimonii omnium gentium omniumque temporum. Christianae etiam primitiuae Ecclesiae idem congenitus atque perpetuus fuit, ea, quae Deo speciatim oblata sunt, Sacerdotibus, tanquam eius Vicariis & Ministris, atque ad ea, quae ad Deum sunt, adsumptis & constitutis, commissa censeri. Nullibi enim, haec cessare consecrationem, Euangelium vetuit, voluitue.

### §. XI.

Haec etiam fuit sententia omnium gentium, quae non penitus Dei cultum abiecerunt, quasque recensere supervacaneum foret. Ad Romanos tanquam moratores prouocare sufficit, eorumque Leges. Illis enim res sacrae Diuini Iuris dicebantur, atque vel ideo nullius in bonis. Sacrae autem iis fuerant, quae rite per Pontifices Deo consecratae sunt, veluti aedes sacrae & donaria, quae rite ad Ministerium Dei dedicata sunt, quae etiam per Constitutiones Principam alienari & obligari prohibebantur, excepta causa redemptionis captiuorum. \* Pontifex autem Maximus Romanis dicebatur, quod maximus rerum, quae ad Sacra & Religionem pertinent, Iudex esset

\* Instit. §. 7. 8. & 9. de Rerum Diuis. Dig. L. I. de Diuis. Rerum. add. L. 17. ff. de Verb. Signif. Sic & TREBATIVS, „Sacrum est, inquit, quidquid est, quod Deorum habetur.“ apud MACROB. Lib. 3. Cap. 3. & GALLIVS AELIVS apud FESTVM: „Sacrum est, inquit, quodcunque modo ex instituto Civitatis consecratum sit, sive aedes, sive ars, sive lignum, sive locus, sive pecunia, sive quid allud, quod Deus dedicatum & consecratum sit.“

vindexque. Christianis vero strictiori in significatu eae quidem res  
 sacrae vocari consueuerunt, quae ritu sacro interueniente, maxime  
 unctionis olei vel chrismatis, ad solum cultum Diuinum, maxime  
 Eucharisticum, inaugurarunt. Nec latior tamen significatus ab iis  
 omissus penitus neglectusque fuit, quo bona quaecunque & praedia,  
 nullo licet ritu sacro, authoritate tamen & Decreto solenni Episco-  
 pi voluntati & oblationi piorum fidelium accedente, ad Ecclesiam  
 & usus Religionem spirantes, atque Dei intuitum habentes destina-  
 bantur. Nam vel ipsa receptissima vocabula, *Deo offerre, sacrum  
 facere, consecrare, dedicare, tradere, dare, vovere, deuouere, te-  
 stimonii loco haberi possunt*, quae paeprimis in Decretis & Cano-  
 nibus SS. Conciliorum & Pontificum frequentissima sunt; tum etiam  
 in Iure Civili & Capitularibus Regum Francorum, vbi dicitur: *Ea,*  
*quae Domino offeruntur, vel consecrantur, ad ius pertinent Sacerdo-*  
*tum: & sacrilegi sunt, qui ea auferunt.*\* Quibus respondet haec  
 formula res Deo offerendi saeculo IX. visitata: „Offero Deo & dedi-  
 co res omnes, quae in hac Chartula tenentur insertae, pro remis-  
 sione peccatorum meorum . . . ad seruandum ex his Deo in  
 Sacrificiis, Missarumque solemnis, Orationibus, luminariis,  
 pauperum & Clericorum almoniis, & eaeteris diuinis Cultibus  
 atque illius Ecclesiae utilitatibus. Si quis autem eas inde . . .  
 abstulerit, sub poena sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas of-  
 fero atque dedico, distictissimas reddat rationes. „\*\*

\* Lib. VI. C. 395. addat, Lib. VII. Cap. 339. 392. 408.  
 \*\* MABILLON. Annal. Bened. T. II. Lib. 25. pag. 259.



## §. XII.

Cum Sacerdotibus in participium etiam venerunt pauperes, quibus ex redditibus Deo sacris sua portio depurata est. Ius autem Sacerdotum duo complectitur. Ut nimirum & ex eisdem bonis decenter vivant; nemo enim propriis militat stipendiis, & dignus est operarius mercede sua; & deinde illorum simul gerant administrationem, regulis Ecclesiasticis paulo post indicandis conformem. Ita enim S. CHRYSOSTOMVS animaduertit, \* non de locupletandis ultra modum indigentiae Ministris Ecclesiae curam esse, sed ad alios etiam cultus diuini usus necessaria suppetere debere, & quae his superabundant, pauperibus eroganda esse inquiens: „ Magna prouisione opus est, ut Ecclesiae facultates nec redundant, neque rursus desint; sed, quae Ecclesiae erogantur, continuo indigentibus sunt disperienda. „

## §. XIII.

Noui vero Testamenti infinita sunt exempla, quibus id ipsum comprobetur. Christus enim Dominus, qui durante vita sua priuata gloriatur non habere se, vbi caput reclinet, quamprimum tam Euangelicae praedicationis suae munus suscepit, & prima Ecclesiae suae fundamenta iecit, loculos communes cum Apostolis suis habere non dedignatus est, quorum & ipse administratorem & dispensatorem Iudam constituit, & in triplicem usum, suam suorumque sustentationem primum, dein in pauperum subsidium, ac denique festorum dierum celebrationem expendi iussit. \*\* Deo autem offerri

---

\* Lib. 3. de Sacerdotio.

\*\* Euang. Ioan. C. XII. v. 6. & C. XIII. v. 29.

offerri & consecrari, aut deuoueri, quae posthac Apostolis post Christi in coelos ascensum in communes hos loculos conferebantur, aut tanquam preia ex diuenditis bonis ad pedes eorundem, tanquam Dei Ministrorum, prosternebantur, terrifica illa ANANIAE & SAPHIRAE castigatio Iuulentis edocet. Non enim hominibus, sed Deo & Spiritui Sancto mentitos eos fuisse PETRYS Apostolorum Princeps increpat, & fulminante voce morte temporali eosdem percellit. \* Apostoli, ceu Religionis ministri, in cuius usum illa ex intentione fidelium conferebantur, praeter sanctiores Ministerii sui functiones hanc etiam administrationis & dispensationis in singulos curam sibi incumbere existimarunt. Cum tamen nimium grauis illis euaderet, ea occasione septem Diaconos eligi curarunt, in quos hanc tandem dispensationem transferri placuit; retentis tamen adhuc sibi collectis, ut colligitur ex S. PAVLO \*\*, qui eas & ordinandi & dispensandi, sive transmissionem dirigendi, atque delegandi sibi ius atque auctoritatem adserit. PAVLVS quoque idem *ad Philipp.* \*\*\* fatis indicat, se ratiocinia oblatorum curauisse; inquit enim: „ Scitis autem vos Philipenses, quando profectus sum Macedonia, nulla me cum Ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli, quia Thessalonicam semel & bis in usum mihi misistis. „

B 3

§. XIV.

\* Act. Apost. C. V. vv. 3. 4. &amp; 9.

\*\* Corin. cap. vii. prim.

\*\*\* Cap. vii. v. 15. — 18.

## §. XIV.

Saeculo secundo & tertio eundem oblationum vsum & penes Episcopos tanquam administratores vi Sacerdotii sui proprii constitutos atque aerarii sacri praepositos deponendi vsum moremque perdurasse, IVSTINVS Martyr Apologia II. testatur; „ Qui copiosiores sunt & volunt, pro arbitrio quisque suo, quod visum est, con-„ tribuunt, & quod ita colligitur, apud Praepositorum deponitur, „ atque inde opitulatur pupillis & viduis, & his, qui propter „ morbum & aliam ob causam agent &c., Quod idem TERTULLIA-„ nus in suo quoque Apologetico elegantissima huiusmodi piarum erogationum imagine depicta refert. „ Praesident probati quique se-„ niores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti; ne-„ que enim pretio vlla res Dei constat; etiam, si quod arcae ge-„ nus est, non de oneraria summa, quasi redemptae religionis, con-„ gregat. Modicam vnumquisque stipem menstrua die, vel, cum „ velit, & si modo possit, apponit; nam nemo compellitur, sed „ sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde „ non epulis, non potaculis, non ingratis voratrinis dispensatur; „ sed egenis alendis humandisque, & pueris ac puellis, re ac pa-„ rentibus destitutis, aerateque domitis senibus, item naufragis, „ & si qui in metallis, & si qui in insulis vel custodiis duntaxat ex „ causa Dei sectae, alumni confessionis suae fiunt. „

## §. XV.

---

\* Lib. II. Cap. 35.

## §. XV.

Constitutiones quoque Apostolicae vulgo dictae, quamuis Apostolis velut Auctoribus adscribi nolint, Politiae Saeculi tamen tertii & secundi testes ab omnibus admittuntur, & hanc eandem disciplinam & Episcoporum potestatem referunt \* inquietentes:

- » Tibi laice conuenit, ut largiaris; *Episcopo* vero tanquam Oecumenico & Administratori rerum Ecclesiasticarum, ut dispensem.
- » Caeu tamen, ne *Episcopum* ad rationes voces, neque dispensationem illius obserues, quomodo eam gerat, aut quando aut quibus aut ubi, vtrum bene an secus. Habet enim ipse rationabilem Deum, qui hanc illi procriptionem in manus tradidit.
- » Qui ei Sacerdotium tantae dignitatis mandare voluit. «

## §. XVI.

Ius diuinum Noui Testamenti eiusque obseruantiam tam Apostolicam, quam trium primorum Saeculorum, quae purissimam fuisse quoad disciplinam suam, hostes etiam Ecclesiae infensiores admittunt, ex his testimoniosis luculentissime est colligere, ut infinitis aliis supercedere omnino liceat. Quod autem Christus & Apostoli propriis praeformarunt exemplis, plenissime approbatum atque stabilitum corroboratumque iure merito astero. Imo formam regendi, atque post hac perpetuo ira agendi normam Christus & Apostoli successoribus eorum Episcopis dare ac praebere voluisse censendi sunt, quam ipsi quoque imitantur.

## §. XVII.

---

\* Lib. II. Cap. 35.1

## §. XVII.

Porro nec vterius opponi poteris, nihil ex his saeculis firmatis atque validi inferri posse. Tum enim Ecclesiam in statu presso sub gentilibus Imperatoribus & persecutoribus ingemuisse, & vbi nequum tanquam societas legitima cum consensu Principum recepta, aut iure civilis domicili gauisa, adeoque ad ciuilem societatem nullatenus spectabat, sibi soli derelictam propriis etiam viribus & de facultatum suarum cura prospicere debuisse. Nihil tum Iuris Imperantes Politicos sibi vindicare, aut voluisse, aut potuisse. Secus nunc omnia ista se habere, postquam sub CONSTANTINO M. Christiana Ecclesia Reipublicae ciuili innexa fuerit, & inter societas licitas probatasque, aut Collegia societatis ciuilis adoptata, atque connumumerata. Certe Principia Iuris Publici Vniuersalis tanquam consecutarium hoc ex ipsa receptione cuiuscunque demum societatis in ciuitatem inferunt, illi sua iura & bona ad finem illum, in quem coaluit, necessaria vel opportuna & ipsimet vniuersae Reipublicae innoxia, aut sine ciuium laesione legitime aquisita relinqui atque defendi debere, vt sicut singuli, ita societas plurium ciuium securere tranquilleque viuere, atque bona ista tanquam media finis sui necessaria tenere, administrare atque percipere sibi licet, membra etiam singula eorum administrationi apta feligere, praeficere, praescriptis recte agendi normis dirigere, & an iis satisfaciant, pareantque, inuestigare possint. Ad Ius ipsum Naturale, siue quod vocamus ius publicum vniuersale, referri meretur, quod Lex positiva Romana \* constituit: „Neque societas, neque Collegium, neque „ hu-

---

\* L. I. ff. Quod cuiusque vniuersitatis.

372

„ huiusmodi cōrpus passim omnibus habere conceditur, — Quibus  
 „ autem permīssum est, corpus habere Collegii, Societatis, siue cu-  
 „ iuscunque alterius, eorum nomine proprium est, ad exemplum  
 „ reipublicae, habere res communes, arcā & actōrem, siue Syndi-  
 „ cum, per quem, tanquam in republica, quod communiter agi  
 „ fierique oporteat, agatur, fiat. „ Nihil per hoc plus maiusue  
 Praefulibus Ecclesiarum afferit, quam priuato cuique ciui super  
 rebus suis a republica relinquitur. Administrandi enim facultas,  
 alios sibi procuratores & factores constituendi arbitrium, in hos  
 inspiciendi, eos dirigendi, discutiendi, & pro merito destituendi  
 potestas nemini denegatur. Omnes enim aliae Societates ad certum  
 finem congregatae super suis facultatibus ad eundem finem collatis  
 eodem iure vtuntur. Censentur enim tanquam personae morales,  
 quibus de rebus suis domesticis omni meliori modo prospicere non  
 est interdictum. Non igitur nimium petitur, si, quod aliis inferio-  
 ris ordinis Collegiis ciuitas quaelibet sine suo spectato denegare non  
 solet, Ecclesiarum quoque superioribus deberi afferimus. \*

### §. XVIII.

Si sacræ antiquitatis atque Historiae Ecclesiasticae attente euol-  
 uimus monumenta; deprehendimus abunde, etiam post CONSTAN-  
 TINI tempora plenam honorum Ecclesiasticorum curam, & de iis  
 disponendi facultatem solis Episcopis esse relictam. Ex quo primum

C

est

---

\* Conf. uberioris SCHLETTWEIN Tract. die Gerechtigkeit in Absicht auf  
 die Kloester und auf ihre in- und auslaendische Güter und Gefaelle  
 praesertim §. 14. vbi de obedientia statui politico innoxia agitur.



est colligere, etiam Imperantibus Christianis semper persuasum fuisse, supremam illam circa redditus eiusmodi potestatem ac sollicitudinem a nemine rectius geri, quam ab iis, qui ratione officii sui ab ea excludi prorsus nequeunt, & integerrimae gubernationis spem faciunt. Ex Iure Ecclesiastico hoc propositum latius demonstrare pene supervacaneum videtur. Infinitis enim Canonum testimonii atque praceptis, quae sub Christianis Imperatoribus condita sunt, abundamus. Hanc enim Episcopis potestatem tribuit Concilium Grangrense anno CCCXXXIII. celebratum,\* intentato illis anathemate, qui rerum Deo oblatarum administrationi citra conscientiam Episcopi sese immiscuerint. Pariter Concilium Antiochenum anno CCCXLV. \*\* autoritatem Episcopalem in dispensatione bonorum stabiliiuit, sed & prouide addidit, atque constituit: „vt manifesta sint, quae pertinere videntur ad Ecclesiam, cum notitia Presbyterorum & Diaconorum, qui circa ipsum Episcopum sunt: ita ut agnoseant, nec ignorent, quae sint Ecclesiae propria, nec eos aliquid lateat, vt, si contigerit Episcopum migrare de saeculo, certis existentibus rebus, quae sunt Ecclesiae, nec ipsae collapsae depereant. „ Sicut haec modo recitata, ita complura alia GRATIANVS passim in suo Decreto variis in causis, praesertim C. XII. & XVI., exhibet.

§. XIX.

---

\* Can. 7. & 8. „Si quis dat vel accipit fructus oblatos, praeter Episcopum, vel eum, qui est constitutus ad beneficentiae dispensationem, & qui dat, & qui accipit, sit anathema. „

\*\* Can. 24.

## §. XIX.

Neque causeris Episcopos & reliquós Praelatos cumulatis temporalium curis ac spiritualibus functionibus nimium fuisse impeditos. Quippe subleuabatur eorum solicitude per adiuctos cum in finem oeconomos. „ Placuit omnem Ecclesiam habentem Episcopum habere Oeconomum de Clero proprio, qui dispenset res Ecclesiasticas secundum sententiam proprii Episcopi, itá, vt Ecclesiae dispensatio praeter testimonium non sit, & ex hoc dispergantur Ecclesiasticae facultates &c. “ Ut decreuit Concilium generale Chalcedonense anno cccl. \* Idque innonat generale Nicænum II. \*\* vbi non solum in Episcopatibus, sed & in monasteriis singulis oeconomi institui iubentur. Quae constitutio passim in aliis etiam Conciliis fuit repetita. Sed quanquam in his canonibus vbique instituantur oeconomi, nihil tamen infringitur de suprema Episcopi potestate, quae innata insertaque ipsi eius Sacerdotio supremo videtur: Cum iubetur Oeconomus iniussu Episcopi nihil moliri, Oeconomum vero idem de proprio Clero eligi, qui dispenset res Ecclesiasticas secundum sententiam proprii Episcopi. Facilime quippe poterat Episcopus in Oeconomum suum ex omni cura vigilare & cogere, vt rationes redderet: non ita facile autem & expeditum erat, vt Presbyteri & Diaconi Episcopum adducerent ad exhibendas sibi administrationis suae rationes.

C 2

§. XX.

\* Can. 26.

\*\* Can. II.

## §. XX.

Supremae huius authoritatis exigendi ab oeconomis, vel qui-  
buscumque aerarii Ecclesiastici, aut domum religiosarum admini-  
stratoribus ratiocinia teskes ac vindices habemus duos Pontifices, vt  
sanctitate ac literarum scientia, ita regendi Ecclesiam prudentia &  
in Magistratum politicum aequanimitate ac moderatione maximos,  
LEONEM videlicet I. & GREGORIVM I. Ex prioris Epistolis ad MARTI-  
ANVM Imperatorem edocemur, grauissime illum conqueri, quod Oe-  
economi Ecclesiae Constantinopolitanae dispensationis suae rationem  
coram Iudicibus Saecularibus redderent, quae res exemplo careret,  
& consuetudini aduersaretur, secundum quam Ecclesiasticorum pro-  
uentuum & dispensationis tabulae Episcopis exhiberentur, qua fœ-  
dissima, vt vocat, seruitute Ecclesiam absolui enixe deprecatur in-  
quiens. \* „ Illud etiam rationabiliter haic Epistolae credidi copu-  
„ landum, vt de eo, quod pietatem vestram prioribus petii literis,  
„ deprecarer, vt oeconomos Constantinopolitanae Ecclesiae nouo  
„ exemplo & praecipue pietatis vestrae temporibus a publicis Iudi-  
„ cibus non sinatis audiri, & hanc quoque iniuriam sacris remouea-  
„ tis ordinibus: sed rationes Ecclesiae secundum traditum morem  
„ sacerdotali examine iubatis inquiri. \*\* GREGORIVS vero M. \*\*  
cum Episcopum Fundanum ad Ecclesiam Terracinensem transferret,  
plenissimam ei in temporalia & in spiritualia eius Ecclesiae potesta-  
tem conferebat. „ Quidquid de praedictae rebus Ecclesiae vel eius  
„ patri-

\* Epist. 108.

\*\* Lib. 2. Ep. 13.

„ patrimonio, seu Cleri ordinatione, promotione & omnibus  
 „ generaliter ad eam pertinentibus solerter, atque canonice ordi-  
 „ nare facereque prouideris, liberam habebis, quippe ut *Sacerdos*  
 „ *proprius*, modis omnibus facultatem. Conquerebatur idem GREG-  
 ORIVS \* de Calaritani Metropolitani ignavia, incuriaque, qui ra-  
 tiones sibi fieri ab administratoribus Xenodochiorum non fatage-  
 bat, iuxta priscam consuetudinem: „ Peruenit ad nos consuetu-  
 „ dinem fuisse, ut Xenodochia, quae sunt in Calaritanis partibus  
 „ constituta, apud Episcopum ciuitatis singulis quibusque tempo-  
 „ ribus suas subtiliter rationes exponerent, eius videlicet tuitione  
 „ atque sollicitudine gubernanda. “ Cum MARINIANVM Rauenna-  
 tem Episcopum Romam inuitaret, ubi labanti & afflictæ valetudini  
 aptius succurreretur, suadebat, ut Ecclesiae suae aliquem praeficer-  
 ret, qui temporalia eius absente se curaret. „ Videtur mihi, ut  
 ordinata illic Ecclesia, qui Episcopii curam gerere, hospitalita-  
 temque & susceptiones possint exhibere, quive Monasteriis cu-  
 stodiendis praecesse norint. \*\* “ Exauthorato Episcopo quo-  
 dam iussit GREGORIVS, eius ex re propria resarciri, quidquid de  
 patrimonio Ecclesiae abliguriisset. \*\*\* Docet item GREGORIVS \*\*\*\*  
 Quo toto tempore Salonesis in Dalmatia Episcopatus vacasset, re-  
 rum eius curam oeconomum agere debuisse, & rationes denique

C 3

suas

\* Lib. 3. Ep. 24.

\*\* Lib. 9. Ep. 28.

\*\*\* Lib. 10. Ep. 34.

\*\*\*\* Lib. 2. Ep. 22.

suas nouo Episcopo exponere. Cum Calaritanum Episcopum \* deterreret, ne regenda laicis committeret bona Ecclesiae, spectatae fiduci Clericis eam curam committi hortabatur. Insomni tamen vigilancia usum fuisse GREGORIVM IOANNES Diaconus testificatur, ut exploraret eorum omnia gesta, consilia, mores, quibus orbis pene vniuersi pauperum patrimonii curam mandasset. \*\* Omnim perusassissimus erat GREGORIVS, non terrenarum cura rerum, sed animarum regimine constare Episcopatum: unde & ad IANVARIVM Calaritanum haec eius Epistolae verba sunt: „Nam non terrenarum „rerum curam, sed animarum te ducatum suscepisse cognosce.“ Et ille ipse tamen tanto negotiorum saecularium pondere premebat, ut haeret aliquando dubius, Principis terreni, an pastoris nomen & officium induisset; ita ut saepe incertum fiat, vtrum pastoris officium, an terreni proceris agat. Tantis occupationum molestiis inuitum se ab amore Dei diuelli impatientissime ferebat: „ut per Episcopatus ordinem pene ab amore Dei videam me esse „separatum.“ Hac tamen molestia absoluī se & expediri non sinebat ipsa pastoralis vrgens charitas. Exempla quidem prostant, quamuis rara, eos, qui Ecclesias fundarunt vel dotarunt, aegre nonnunquam assensos fuisse huic Episcoporum in temporalia potestati. Ast eo declarat Synodus Toletana III. de anno ccccxlvi. \*\*\* violari priscorum Canonum autoritatem, quae totum committit

Epis-

---

\* Lib. VII. Ep. 6.

\*\* L. II. c. 55.

\*\*\* Can. 8.

Episcopis statuendo : „ *Vt omnia secundum constitutionem anti-*  
 „ *quam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant.*

§. XXI.

Finem differendi haud inuenirem , si perpetuam Conciliorum reliquorum de saeculo ad saeculum hac in re plenissimam consensionem referre vellem , si quidem & plurima ex consensu Legum Imperialium simul patebunt . Vnum tantum ex medio aeuo Concilium Aquisgranense II. de anno DCCCXXXVI. silentio praeterire non possum , cuius Patres integrum Commentarium in tres libros diuisum ad PIPINVM Regem LUDOVICI Pii filium data opera detulerunt , quo doctrinam de bonis Ecclesiasticis prolixe pertractant , & obiectioni Saecularium Principum , quasi haec ipsorum potestati & utilitati obnoxia essent , respondere conantur . Solas deinde Decretales adlego , quae omnes ratione potestatis Episcopalis circa bona Ecclesiarum totius retro antiquitatis principia fouent . Erigi enim beneficia Ecclesiastica , quae ius percipiendi redditus ex temporalibus bonis inuoluunt , sine autoritate Episcopi prohibit , erecta eadem autoritate cum iure administrandi , tam in temporalibus , quam spiritualibus confertur , electi adeo solenni iuramento ad fidelem eorum conseruationem Episcopo adstringuntur , libera de illis disponendi , aut administratoribus Beneficiatis inferioribus inuigilandi facultas Episcopis tribuitur . omnis alienatio rei Ecclesiasticae absque legitimo personarum Ecclesiasticarum , Episcopi praecipue , consensu & beneplacito omni firmitatis robore carere declaratur , licet per constitutionem Laicorum fuerit approbata . Ius corrigendi & reformati in temporalibus

ralibus quoque, id est, oeconomicis suspendendi, imo amouendi  
& destituendi suspectos administratores adseritur. Verba INNOCEN-  
TI III. \* notatu digna sunt: „ Ordinentur, ait ille, religiosae  
„ personae, quae singulas Abbatias studeant visitare, corrigentes  
„ & reformatentes, ita, quod si rectorem loci cognoverint ab ad-  
„ ministracione penitus amouendum, denuncient Episcopo proprio,  
„ vt illum amouere procuret. “ Non minus HONORIVS III. \*\* in-  
ter visitationis obiecta temporalia quoque enumerat, ac modum  
in amouendo Superiore Ecclesiastico omnium optime determinat:  
„ Visitatores, ait ipse, de statu Monachorum diligenter inquirent,  
„ & tam in spiritualibus, quam in temporalibus corrigant, ac re-  
„ forment, quae viderint corrigenda. Quodsi Abbas fuerit a Vi-  
„ sitatoribus nimis negligens & remissus inuentus, id loci Dioce-  
„ sano denuntient sine mora, & per illum detur ei fidelis & prouid-  
„ ens Coadiutor. Si autem dilapidator inuentus fuerit, vel alias  
„ merito amouendus: per Dioecesanum amouetur absque iudicio-  
„ rum strepitu a regimine Abbatiae, & monasterio prouideatur in-  
„ terim administrator idoneus, qui temporalium curam gerit, do-  
„ nec ipsi Monasterio fuerit de Abbeate prouisum. “ Similis est  
earundem Decretalium seuera sanctio, qua Episcopis omnium pia-  
rum voluntatum cura atque executio cum cognitione ita demandatur,  
vt alii quicunque earum executores, qualicunque alias ratione exempti

Episco-

---

\* Cap. 3. de Statu Monach. & Canon. regul.

\*\* Cap. 8. eod. Tit.

Episcopo hoc in munere subiiciantur, ipse vero a testatoribus penitus excludi nequeat. \*

§. XXII.

Non minus certe hic conductit, quod alienatio rerum Ecclesiasticarum inferioribus omnibus Ecclesiarum Rectoribus interdicta sit, & aliter valide & efficaciter concludi non possit, nisi toto negotio prius rite proposito & accedente Cleri Ecclesiae, de cuius bonis alienandis quaestio est, adscripti consensu sive suffragiis maioribus exquisitis, deinde Superioris, cui Rector atque Praelatus alienationem cogitans secundum ordinem Hierarchicum subest, authoritas accederit, Legibus ipsis Civilibus tam Iustinianaeis, quam Patriis atque Germanicis hac in re consentientibus, eandemque Praelatorum auctoritatem statuentibns. Atque inde etiam est, quod, antequam vel Beneficium, vel Dignitas quaecunque, a Superiore Ecclesiastico conferatur, prius Iuramentum de fideli rerum ad Ecclesiam, cui Rector praeficitur, pertinentium administratione, evitanda omni dilapidatione, vel indebita alienatione, immediato Superiori Ecclesiastico praefundum exigatur. Hoc ipsum etiam non parum momenti atque ponderis adserit, quod ipsa Collationis Beneficiorum, & vermaxime Confirmationis Electionum ad Dignitates, formula disertis verbis administrandi Ecclesiam *tam in spiritualibus, quam temporalibus* ius enuntiet. Hoc ipsum enim ab Ecclesia, id est, ab ipso Superiori Ecclesiastico eandem repraesentante, in Rectorem transferri, obseruantia & praxis hactenus perpetua demonstrat.

D

§. XXIII.

---

\* Cap. 17. de Testam. & vlt. Volunt.

## §. XXIII.

Mirum sane videri debet, quantus hodie Politicorum non tantum, sed Ecclesiasticorum adeo Doctorum aduersus hanc Clausulam zelus effervescat. Exempli loco sint: *Bemerkungen über das Resultat des Embscher Congresses mit Teutscher Freimüthigkeit entworfen von CHRISTIAN KLEINFELD:* ita enim cum candore plus quam Germanico, non minus, quam multo sale sarcasmis etiam mixto, de formula Bullis Pontificiis Electionum ad Episcopatus & Abbatias immediatas Imperii confirmatorii inseri solita rationatur: Diese Clausel (administrandi tam in temporalibus, quam in spiritualibus) geht eigentlich die Gerechte Kaiseriche Majestät und des Reichs an. Von daher müssen die Vorstellungen dagegen gemacht werden, die Bischöfe können sich nur in soweit gegen die Annahme der mit dieser Clausel gespickten Bullen setzen, als sie ihrem künftigen Lehn-Eide und der Lehre, daß der Pabst über die Weltlichkeiten der Regenten nichts zu befehlen habe, entgegen ist. Sie ist auch weder von einigem Nutzen, noch von einer Wirkung. Denn wenn man sagen wollte, der Bischof erhicke durch die Oberadministration jener Stifter, Kirchen, Klöster, und anderer Kirchen-Güter, die unter einem fremden Landes-Herrn liegen, so ist man ganz irrig daran. Der Landes Herr kann hiervon ohnehin nicht ausgeschlossen werden, und wenn sich der Bischof auf eine Päpstliche Verleihung beruft, wird der Landes Herr gar wohl zu erwiedern berechtigt seyn: Niemand giebt, was er nicht hat. Inzwischen ist halt diese Clausel, die in älteren und trüben Zeiten eingeführt worden ist, nach dem Curial-Seile, so wie die Engelschöne Schrift in den Päpstlichen Bullen noch bey behalten, und wird so gar der Bestätigungs-Urkunde

*kunde eines Bischofs in partibus infidelium eingerückt: und worzu un-*  
*nütze Claußeln? Si temporalium nomine feuda, regalia & iura tam ter-*  
*ritorialia quam comititalia, ac Principatus Ecclesiis Germanicis annexi*  
*intelligi velint; quarelæ istæ, ut ut amarae, fundamento non carent.*  
*Affensi enim Imperatoris & Imperii ac iustæ rationis suffragio com-*  
*probantur, vt suum cuique tribuantur, & potestatis vtriusque limites*  
*seruentur. Iura enim Suprematus Maiestatis saltem analogi, sive*  
*regendi atque gubernandi populum, ad finem temporalem, felici-*  
*tatem ac securitatem, tranquillitatemque publicam non minus, quam*  
*ad subiectionem Imperio debitam compellendi, vti & suffragium de-*  
*cisivum in Comitiis Imperii, vel aliis Conuentibus Circularibus, Visi-*  
*tationibus & Deputationibus ferendi, & caetera iura regalia exercen-*  
*di, ab alio fonte, quam a Summo Ecclesiae Capito deriuanda sunt.*  
*Quamuis praeterea antiquorum fundatorum & Imperatorum Praede-*  
*cessorum concessionibus atque liberalitate, Ecclesiis atque territoriis*  
*ipsis secundum antiquam Imperii Constitutionem atque formam Legi-*  
*bus publicis Germaniae stabilitam, iure perpetuo iam annexa sint;*  
*Hunc ipsum tamen fauorem singuli Neo-Vasalli secundum Leges feu-*  
*dales denuo recognoscere, atque ab Imperatore, tanquam omnis iu-*  
*risdictionis & Imperii saecularis fonte, recipere tenentur. Atque ea-*  
*tenuis recte sentit Vir Clarissimus aduersus hanc formulam primario*  
*agendi, & contradicendi, & accusandi ius Imperatori & Imperio*  
*competere, Ecclesiasticis vero Principibus consecutive duntaxat, ea-*  
*que ex ratione, in quantum & ipsi tanquam Vasalli eadem fidelitate*  
*ad Iura Imperatoris & Imperii tuenda ex Juramenti sui Religione ad-*  
*stringuntur. Praedia vero, & caetera bona, & redditus eorum percipi-*

D 2.

piendi



piendi iura ab Ecclesiis, tanquam Collegiis, Republicae licet subordinatis, instar aliorum ciuium allodiali iure possidentur, atque in libera plenissimaque earum proprietate existunt. Haec ergo administrandi, redditus colligendi atque percipiendi ius ab Ecclesia, tanquam Domina atque proprietaria, conferri & potest & debet, quam legitimus ille Superior conferendi vel confirmandi autoritatem habens representat, qualis respectu Episcoporum iuxta modernam Politiam Ecclesiae Pontifex, respectu aliarum Dignitatum mediatarum in quilibet Dioecesi sub Episcopo constitutarum Episcopus censetur. Nam & iste in suis Confirmationibus vel Collationibus Beneficiorum eadem formula, *in temporalibus*, vtitur. Neque haec erronea, usurpatoria, aut iuribus Principum iniuriaſa videri potest. Plurimae Ecclesiae Cathedrales, Collegiate, Abbaciae, & Monasteria in Dioecesi bus eorum sita magnam partem bonorum allodialium extra territorium loci, in quo sita est Ecclesia vel Abbatia, constitutam habent, & hanc Episcopus Dioeceseos in collatione vel Confirmatione sua tribuit. Ciuis, incola & subditus territorii A. in alieno territorio B. bona possidens absque villa Principis B. iniuria aut praeſcitu Procuratorem, Administratorem, vel Oeconomum constituit vi dominii sui priuati atque proprietatis. Ecce non possit eodem iure suo Ecclesia, aut, qui eandem representat, legitimus Superior Ecclesiasticus? Ratio decori aliquando exigit, Aduentum noui Rectoris Principi extraneo cum submissa reverentiae contestatione & commendatione notificari, id quod in honorem potius notificantis cedit, quam illi, cui notificatio & congrua salutatio ac commendatio defertur, maius aliquod ius attribuat. Corruit ergo imaginarium illud principium

cipium hūc pessime applicarum: *Nemo dat, quod non habet.* Ecclesiā enim hoc ius habere ex deductis in aprico est. Dominum territorialem excludi alioquin non posse, quod inquit ratiocinator, parum mouere debet. Supposito interim hoc, non illimitate plane admissō, de quo inferius discurrendi locus recurret, facile reponitur, quod inter omnimodam & totalem exclusionem Domini Territorialis, & inter concessionem ipsam temporalium ab eodem exceptandam, aut postulandam, ingens adhuc interuallum interiaceat.

### §. XXV.

Omnium denique complementum sit Cōcilium Oecumenicum nouissimum Tridentinum, quod authoritatem hanc Episcoporum redintegrat, atque restaurat, \* ubi statuit, vt cognoscerent ipsi de rationibus fabricarum, & Xenodochia omnia vistarent, explorarentque sedulo, an executioni mandarentur, quae ad pauperum leuamentum spectant, „ ac omnia, quae ad Dei cultum aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo iuxta canonum Statuta cognoscant & exequantur. „ Denique priscae disciplinae nouus vigor additur, ubi praecepit Concilium, vt Executores sint Episcopi omnium piarum voluntatum in gratiam pauperum, sive superstites & integra valetudine, sive morituri eis quiduis legaverint. „ Omnia piarum distinctionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint excutores, „ Administratores tam Ecclesiasticos, quam Laicos,

D 3.

fabri.

---

\* Sess. 22. Cap. 8, & 9.

—————

fabricae cuiusvis Ecclesiae & quorumcunque locorum piorum singulis  
annis reddere rationem administrationis Ordinario iubet, &, quodsi  
ex consuetudine aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum  
iis adhiberi Ordinarium, & aliter factas liberationes dictis admini-  
stratoribus minime suffragari statuit. Sane, quod maximam ad-  
ministrationem cire posset, non tantum praे Patronis ipsis Ecclesiarum  
praecipuam authoritatem Episcopis hoc idem Oecumenicum Conci-  
lium tribuit, sed illos adeo in regula a bonorum stabilium, aut pro-  
ventuum fabricarum Ecclesiarum administratione exclusos cupit, eo-  
rumque applicationem Episcopis eorumque iudicio relinquit. \* Iubet  
enim: „ Patroni in iis, quae ad Sacramentorum administrationem  
spectant, nullatenus se praesumant ingerere, neque visitationi or-  
namentorum Ecclesiae, aut bonorum stabilium, seu fabricarum  
prouentibus immisceant, nisi quatenus id eis ex institutione ac  
fundatione competit: sed Episcopi ipsi hoc faciant, & fabrica-  
rum redditus in usus Ecclesiae necessarios, & viles, prout sibi ex-  
pedire magis visum fuerit, expendi curent. „ In eandem quo-  
que curam temporalium Ecclesiae, sicut in totam iurisdictionem  
Episcopalem, vult succedere Capitulum Cathedrale, eamque exer-  
cere per constitutos unum vel plures fideles ac diligentibus Oecono-  
mos, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri.  
Episcopus vero ad eamdem Ecclesiam vacantem promotus ab eis-  
dem, Oecono, & aliis quibuscunque Officialibus & Admini-  
stratoribus, qui sede vacante fuerunt a Capitulo vel ab aliis in  
„ eius

---

\* Sess. 24. Cap. 3. de Reform. in fine.

„ eius locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem Capitulo, ratio-  
 „ nem exigat officiorum . . . possitque eos punire, qui in eorum  
 „ officio seu administratione deliquerint, etiamsi praedicti Officia-  
 „ les redditis rationibus a Capitulo, vel a Deputatis ab eodem, ab-  
 „ solutionem aut liberationem obtinuerint. „ \*

### §. XXVI.

Concilia denique Prouincialia, aut Dioecesana, quae praefer-  
 tim pro publicatione & executione eiusdem Concilii Tridentini pro-  
 ximo post tempore celebrata sunt, vel Ordinationes Ecclesiasticas  
 singularium Dioecesum editas, Instructiones etiam vel Chartas Visita-  
 tionum Episcopalis, quae omnes in eandem formam plenissime  
 conspirant, penitus sileo, ut locus saltem aliquis Legibus Civilibus  
 super sit.

### §. XXVII.

Harum nomine cum Ius Romanum Iustinianaeum per antono-  
 masiam nuncupari soleat, paucos textus refero. Debebat ergo in-  
 bente Oeconomi Ecclesiarum vel Xenodochiorum coram Episcopo,  
 conueniri, ut rationes facerent administrationis, cum potestate ta-  
 men prouocandi ab Episcopi sententia ad Metropolitanum, vel Pa-  
 triarcham. \*\* „ Oeconomos autem & Xenodochos, Nosocomos, Pto-  
 chotrophos & aliorum venerabilium locorum Gubernatores, &  
 „ omnes alias Clericos iubemus pro creditis sibi gubernationibus  
 „ apud

---

\* Concil. Trident. de Reform. Sess. 24, Cap. 16.

\*\* Nou. 123, Cap. 23.



„ apud proprium Episcopum, cui subiacent, conveniri, & ratio-  
 „ nem suae gubernationis facere & exigere &c. „ Executio & dis-  
 pensatio piarum voluntatum & piorum legatorum Episcopo permitti-  
 tur, ut eommuni pauperum parenti & patrono. Idem \* cogit Oe-  
 conomos, ut quot annis rationes suas Episcopo exhibeant, restituant-  
 que vel ipsis vel haeredes eorum, siquid minui vel deteri rerum  
 Ecclesiae passi essent: „ Et ipsos quidem Oeconomos cum indicio  
 „ & diligentie discussione creari praecepimus, scientibus ipsis, quod  
 „ singulis annis rationem referent sanctissimo Episcopo suae admini-  
 strationis: & quacunque in re videbuntur res Ecclesiasticas mi-  
 „ nuisse, vel laesisse, vel quaestuam quaesiisse, hoc Ecclesiasticis re-  
 „ bus restituent &c. Haeredes quoque eorum subiliantur tali discus-  
 sioni &c. „

### §. XXVIII.

Sed cum multis hodie, quidquid Romanum est, adeoque pe-  
 regrinum, desipiat, atque cordatus quisque Iurisconsultus primaen-  
 tam illis Legibus autoritatem non competere, sed mere receptitiam  
 fateatur; Regum & Imperatorum antiquorum Germanorum Leges  
 non omittimus. Imperium nostrum Romano-Germanicum authori-  
 tati Episcoporum & Praelatorum Ecclesiasticorum fauissse semper  
 plurimum, expedita res est. Sicut enim in Regimine ipsius Imperii  
 Universi magnam semper sub omnibus Regibus Germanorum par-  
 tem habuerunt, suisque consiliis plurimum valuerunt, ob literarum  
 studia cruda quidem, sed ab aliis Proceribus plane neglecta, atque  
 inde

---

\* L. 28. Cod. de Episc. & Cler. Add. L. 42. L. 46. L. 49. Cod. eod.

Inde maxima togae Aulaeque Principum munia ad se pertraxere; ita quae aliquatenus rationes & utilitatem Ecclesiasticam quoad conservationem boni ordinis & disciplinae tam in Clero, quam in populo involvere videbantur, & Regum & Procerum consensu ac Legum Germanicarum annuit illorum ex iudicio atque Ordinationibus perdere libertissime sinebantur.\* Coæva etiam ipsi Religioni Christianæ per Franciam & Germaniam receptae haec est authoritas. Eius testimonia nobis referunt Capitularia antiqua. Horum quamvis authenticæ collectiones vim Iuris scripti obtinentes hodie nullæ super sint, ipsa tamen gubernandi Imperium & Ecclesiam Politia eadem etiam posthac retenta & conservata fuit, aut eius, quae adhuc retinetur, inde ratio vel argumentum invenitur.

### §. XXIX.

Ne tamen morosa eorum ac prolixa textuum exscriptione tandem faciam, eorum quasi summam paucis capitibus hic pertinentibus comprehensam resero. Merovingicorum videlicet Regum CLODOVÆI I., CLOTARIÆ II., CLODOVÆI II., CAROLOMANNI Ducis & Principis Francorum Capitularia passim eo tendebant; quod omnia mobilia, ut & immobilia, Ecclesiis donata per potestatem regiam aliqua ratione a nexus saeculari dissoluantur, & vnicæ Ecclesiasticis,

E quo-

---

\* Legis Allemannorum vel solus titulus hoc prodit. Ita enim inscribitur in Corpore Iur. Gerin. antiq. curante HETNECCIO p. m. 195. „In-  
„cipit Lex Allemannorum, quæ temporibus CHLOTARI Regis vna cum  
„Principibus suis, id sunt, XXXIII Episcopis, & XXXIV Ducibus,  
„& LXXII Comitibus vel caetero populo constituta est.

quorum tota dispositio ad Episcopum spectat, adnumerentur, saeculares ad eorum administrationem inhabiles declarentur, ac Iudicii publico donationes Ecclesiis factas ingredi, vel de iis iudicare se vere interdicatur, atque ulterius, quod Episcopi soli ac legitimi Ecclesiarum dispensatores ac inspectores existant; Ipsi enim Reges potestatem de illis disponendi plenissimam attribuunt.

### §. XXX.

Eadem permanxit Episcoporum potestas circa temporalia Iurae Ecclesiae, eadem principia sub Merovingicis recensita sub Carolingicis quoque viguerunt, vna & altera mutatione in maiorem adhuc favorem Episcoporum interveniente. Vinculum, quo temporalia ex sua natura potestate saeculari obstricta manent, tollebatur quadam ratione, quam primum Ecclesiae donabantur; & ex decisione Imperatoria, ex lege Imperii, ad Ius Episcoporum vnicce & ita pertinere statuebantur, ut saeculari quacunque potestate praeditus nequidem quasi Oeconomum absque consensu Episcopi constituere posset, & Clerici iudicem illum, qui cognitionem in temporalibus Ecclesiarum sibi vindicare, vel dispositiones Episcoporum desuper factas eludere presumit, tanquam iniustum aggressorem repellere & ad Regem deferre poterant. Episcoporum tantum est, res Ecclesiasticas prouidere, regere ac gubernare, ut Capitularia CAROLI M. \* &

Lv-

---

\* Corpus Iuris German. antiqui curante HEINECCIO referit Edictum CAROLI M. de honore & adiutorio Episcopis praefando a Comitibus & aliis iudicibus datum circa annum Christi 800. pag. 606. — „Cogitamus noscar

LVDOVICI PII, nec non Concilia plerumque iis internenientibus aut praesidentibus nationalia definiunt. Episcopi, quos sub Merouin-

E z

gicis

„ noscat utilitas vestra, quia resonuit in auribus nostris quorundam  
 „ presumptio non modica, quod non ita obtemperetis Pontificibus  
 „ nostris seu Sacerdotibus quemadmodum Canonum & legum conti-  
 „ net auctoritas, ut Presbyteros, nescio qua temeritate, praesentari  
 „ Episcopis degegetis, insuper & aliorum Clericos usurpare non per-  
 „ timescat & absque Consensu Episcopi in vestras Ecclesias mittere  
 „ audeatis. Nec non in vestris Ministeriis Pontifices nostros talim po-  
 „ testatatem habere non permitatis, qualem rectitudine Ecclesiastica do-  
 „ cet. Insuper nonas & decimas vel census improba cupiditate de  
 „ Ecclesias, vnde ipsa beneficia sunt, abstrahere nitimini, & precarias  
 „ de ipsis rebus, sicut a nobis dudum in nostro Capitulari institu-  
 „ tum est, accipere negligitis, & ipsam sanctam Dei Ecclesiam una  
 „ cum ipsis Episcopis vel Abbatibus emendare iuxta vires vestras de-  
 „ negetis. Quapropter nos una cum consensu Episcoporum nostro-  
 „ rum, Abbatum, nec non & aliorum Sacerdotum haec instituta  
 „ partibus vestris direximus. Praecipientes enim iubemus, ut nullus  
 „ quilibet ex fidelibus nostris a minimo usque ad maximum in his,  
 „ quae ad Deum pertinent, Episcopo suo inobediens parere audeat  
 „ de supradictis capitulis seu aliis erationibus ad illorum ministe-  
 „ rium pertinentibus, sed cum bona voluntate & omni mansuetudine  
 „ subiectionis unusquisque Sacerdoti suo propter Deum & pacis studi-  
 „ um obtemperare studeat. Si quis auem, quod absit, unus ex vobis  
 „ vilis de nonis & decimis censibusque reddendis atque precariis re-  
 „ nouandis negligens apparuerit, & importunus Episcopis nostris de  
 „ his, quae ad ministerium illorum pertinere noscuntur, vel sicut in  
 „ Capitulare dudum a nobis facto continetur, contradicere praefump-  
 „ terit, sciat se procul dubio, nisi se cito correxerit, in conspectu  
 „ nostro exinde dicere rationem.



gicis tantum in dilapidatores bonorum Ecclesiasticorum iudices vidimus, nunc facultatem, quasunque lites super Iure possessionum Ecclesiae ortas, per Aduocatum decidendi, expresse aiciunt, quae Iurisdictio ad dilapidatores haud adstricta generalis ac in Diocesi sive parochia vnicula fuit. Deinde Reges ac Imperatores Aduocatae munere fungentes Episcopos in hac Iurium possessione manuteneret, ac contra quoscunque regia sua autoritate defendere adlaborabant; hinc missos ac comites admonuerent, ut Episcopis adiutorium ferrent, si officium suum propter impedimentum adimplere non posset: ipsos vero Episcopos hortantur, vt, si missi vel comites ipsis hoc adiutorium vel potestatem in Capitularibus concessam denegare vellent, ad se recurrerent, ut adistante potestate regia perfidere valeant, quod eorum authoritas exposcit. \* Recursus igitur ad potestatem legislatoriam, quae tota penes Imperatorem eo tempore exitit, in casu legis Imperatoriae vel Capitularis violati per eos, qui Ministri Capitularium esse debuerunt, ab Imperatoribus approbatur, ac praecipitur, & hinc, ut legitimum ac in Iure publico Carolingico undatum remedium Iuris in hac quoque Epochā attendi meretur.

§. XXXI.

---

\* Capit. L. 4. Cap. 823.

Add. apud BALVZ. Capitul. Reg. Fr. T. I. p. 987.

Item charta divisionis regni Francorum inter CAROLVM, PIPPINVM  
& LUDOVICVM filios CAROLI Magni Imperatoris Cap. 15. „ Super  
„ omnia iubemus atque praeципimas .... de caeteris Ecclesiis, quae  
„ sub illorum fuerint potestate, ut iustitiam suam & honorem ha-  
„ beant, & pastores atque rectores venerabilium locorum habeant  
„ potestatem rerum, quae ad ipsa loca prius pertinent, in quocunque  
„ de his tribus regnis illarum Ecclesiistarum possessiones fuerint.

## §. XXXI.

Ex Ottōnum Imperatorum Epochā pauca tantum facta ilustrio-  
ra animaduersione digna recenso, quae eandem illorum pietatem,  
Religionem, sapientiam atque iustitiam egregie posteritati commen-  
dant. Tale certe illud est, quod Abbas Urspergensis de OTTONE  
M. commemorat. Cum enim in expeditione bellica aduersus Duceſ  
perduelles EBERHARDVM & GISELBERTVM ſucepta plurium aliorum  
Principum, qui ab ipſo defecerant, auxilio repente deſtitueretur,  
Comes quidam numerosum militem in Caesaris derelicti feruicio re-  
linquens atque ſuſtentans propitiā hanc occaſionem existimauit in  
hiuſ ſuae fidelitatis remunerationem Commendam Abbatiae Laures-  
haimensis ſibi expertendi; ſed dignam tanto nomine, quod, *quaer*  
*Dei ſunt*, ad Caesaris proprietatem nequaquam pertinēt, ac ſalua  
propterea iuſtitia ab ipſo retribui nullatenus poſſint, reſpoſionem  
reſtulit. \*

E 3

## §. XXXII.

\* Abbas Urspergensis in Chron. sub OTTONE I.: „Nihil ſibi Comes tunc  
„a Rege negari propter instantem neceſſitatem exiſtiuavit, rogauitque  
„ſuis fuorūmque uībus concedi Abbatiam Laureshaimensem. Rex au-  
„tem intelligens, quid petiſio iſta portenderet, ei coram omnibus  
„ait: oportet obedire Deo magis, quam hominibus. Quis enim fa-  
„num ſapiens ignorat, te haec non humilitate petitionis, ſed com-  
„minationis authoritate dixiſſe. Scriptum eſt: nolite ſanctum dare  
„canibis: Quod quāmuis ſpiritualiter intelligentum praedicetur, ego  
„tamen ſanctum me canibis dare iudico, ſi monaſteriorum praeſta-  
„quaer a religioſis viris tradita ſunt, Deo militabitibus tulero, & ſac-  
„culo militabitibus tradidero. „

OTTO.


 §. XXXII.

Sed non ipsos tantum OTTONES tam religiose sensisse de bonis  
semel ad Ecclesiam & ad usus sacros translatis, sed hanc etiam fidu-  
ciam de vniuerso Imperio siue omnibus eius Proceribus fovisse, te-  
stis locupletissimus est OTTO II. Non enim tantum Ecclesiae, quod  
suum iam erat, administrandum, applicandum, gubernandumque  
piissime consecravit, atque autoritate potentissimi brachii sui tueri  
studuit, sed pluribus insuper accessionibus non praediorum tantum,  
sed & integrarum ditionum atque prouinciarum Regaliumque Iurium  
liberalissime adauxit, hac ipsa ratione preeprimis permotus, quod hoc  
modo pax & tranquillitas Imperio universo felicissime firma atque  
perpetua speranda esset, eoquod neminem tantae impietatis & auda-  
ciae fore coniecturaret, qui bona Deo & Ecclesiae dicata attracta-  
re conaretur. Illustrius nihil hanc in rem conferri poterit testimoni-  
o NICOLAI CVSANI, qui hoc ipsum argumentum pluribus verbis  
prolixe prosequitur. \* HENRICVS quoque sanctus bona ad Eccle-  
siam

---

THEODORICVS A NIEM generatim OTTONES depraedat; Ipse Mag-  
nus OTTO & de ipsis Descendente secundus & tertius eiusdem no-  
minis AVGVSTI ipsam Romanam & omnes alias Ecclesias in Italia &  
Germania Saecularibus Dominiis ditarunt.

\* De OTTONI II. NICOLAVE CVSANVS haec habet: „ OTTO II. vnico  
„ gaudens filio & multis regnis, cogitans difficile fore absque maxi-  
„ mo labore tot regna in pace aliquamdiu seruari posse, infequens  
„ vestigio Axi sui HENRICI & OTTONIS Patris, suum cogitatum ad  
„ res Ecclesiasticas adtulit, considerans, multa iam religiosis locis  
„ per

Siam trans'ata ad solitariam Episcoporum dispositionem pertinere,  
proprietati vero ac dominio Status politici subterhi nullatenus du-  
bitauit; nimiam enim ac profusam horum prodigalitatem in fau-  
rem Ecclesiae cum magno Regni detimento coniunctam esse sapie-

enter

„ per praeteritos Reges donata summa pace gaudere , quia verecum  
„ dum erat Deo dicatis vim inferre , animo pogderauit ordinatio.  
„ nem factam in Synodo Romanae Ecclesiae : de quo 36 Distinct.  
„ in Synodo , per quam perpetua dabatur potestas Imperatoribus &  
„ Romanum Pontificem & cunctos sub Imperio Episcopos inuesti-  
„ di , vel saltem eorum consensum sensper concurrere debere ; cele-  
„ brata canonica electione , vnde hoc ponderans credidit , perpetuis  
„ temporibus Imperio subiectis pacem dari posse , si temporalia do-  
„ minia tam Romanac Ecclesiae , quam aliis adiungerentur , cum  
„ certi seruitii obseruatione . Tunc enim cultus diuimus augmentare .  
„ tur , & religionem in magnam reuerentiam exaltandam credidit .  
„ & quando sanctissimi magnae potentiae aliis principibus intermis-  
„ cerentur ; non posse tunc quosque voluntate in peccatis vti : nulla  
„ publica sperabat inquam peccata captorum & depopulatorum agro-  
„ rum & communem pacem turbantium , incendiariorum & consi-  
„ milium posse nutriti , Ecclesiastica sacra porestate petenti & valenti  
„ resistente . Etiam praedones & pauperum oppressores , qui particu-  
„ lari regimini praecessent , sic corrigi posse affirmabat ; vt sic abs.  
„ que tyrannica oppressione populus in libertate viuere posset . Im-  
„ perio enim tranquillissimo non dubitabat hanc ordinationem esse  
„ utilissimam , quando per annua seruitia ac praestimonias cuiilibet  
„ ecclesiae iuxta quantitatem temporalium indicas status imperialis  
„ manuteneretur , ac etiam multo maior imperii potentia ex hoc ap-  
„ pareret , quod illis omnibus dominiis ita Ecclesiae traditis nullus  
„ nisi per imperium & absque Successione praefici posset . „



enter persensit. Alias enim aduersus avidas atque heratas saepc importunas nimiam MEINWERCI Paderbornensis Episcopi alioquin sibi carissimi de bonis Ecclesiae suae conferendis & acquirendis intentiones tam acerbe conquerendi ansam sibi sumere haud voluisse potuisset; \* si nihilominus honorum in Ecclesiis collatorum dominium aut plenam atque liberam disponendi facultatem aut proprietatem penes ipsummet Statum aut Magistratum profanum superesse atque permanere vel somniasset.

### §. XXXIII.

Sacrum undecimum equidem turbast; aliquatenus rerum faciem videri posset. Sed Clarissimus IOANNES CHRISTIANVS MAIERVS potentissimo Regi Daniae & Serenissimo Duci Wurtenbergico & consiliis, Iuris Publici & Ecclesiastici Professor publicus ac ordinarius & Facultatis Iuridicae Tubingensis Adfessor \*\* in acce.rima illa contentione inter Sacerdotium & Imperium super Iure Inuestiturae antiquum Ius Ecclesiae super aliis bonis communibus ecclesiasticis, id est, nullo nexus feudali denuntiis intactum permansisse evincit. Inter illa enim Feudalia, Regalia, Principatus integros & Imperii Domania in Ecclesiis prefecta, & inter alia bona Ecclesiastica & allodialia Religionis usibus tantum dicata ingens differimen admittit. Atque hoc ipsum

---

\* Vid. vita MEINWERCI apud LEIBNIT. Script. rer. Brunsw. T. I.

\*\* In der Recension und Prüfung der Braunerischen Rechtslehre von dem Staats-Eigenium an den Kirchen-Gütern und dem daraus bergeleiteten Heimfall derselben bey vorgebenden Stifts-Imunizationen.

ipsum ex illa PASCHALIS II. Epistola colligere conatur, qua feuda haec Imperatori & Imperio dimitti velle declaravit; ast alia bona allodialia, oblationes & haereditarias possessiones liberas manere Ecclesiae debere praeservavit. \* Quid? quod ubi primum per Principes cassata hac transactione per Pactum Calixtinum infelix illa Sacerdotium inter & Imperium dissensio felicius consopita fuit, idem redindegredi coepit luculenter Systema Imperii, quod bona videlicet temporalia, Ecclesiis & vīsib⁹ ecclesiasticis deputata, spiritualibus disertis verbis adnumerata fuerint, non quidem secundum naturam suam intrinsecam atque physicam, quae utique immutari nec voluit, nec potuit, sed secundum suam ad fines spirituales & Religionis vīsus deputationem, vel moralem aestimationem, & quoad effectus Iuris, ut nimirum dispositioni Praelatorum Ecclesiasticorum ad finem spiritualem constitutorum dispositioni, tanquam ad eundem finem destinata, relinquerentur. Ita enim FRIDERICVS II. in aurea Bulla de libertate Ecclesiastica de ann. MCCXIII. illa disertis verbis nominat: „ Illum quoque dimittimus, & refutamus abusum, quem in oe-

F

,, cupan-

\* Conf. DODECHIN. ad an. MCX. „ Tibi itaque, fili carissime, HENRICE  
„ Rex, — & regno, regalia illa dimittenda praecepimus, quae ad  
„ regnum manifeste pertinebant tempore CAROLI, LUDOVICI, OTTONIS  
„ & ceterorum praedecessorum tuorum — i.e. ciuitates, Ducatus,  
„ Marchias, Comitatus, monetas, teloneum, mercatum, Aduocacias,  
„ iura centurionum & turres, quae regni erant, cum pertinentiis  
„ suis, militiam & castra. Porro Ecclesiās cum oblationibus & ba-  
„ reditariis possessionibus, quae ad regnum manifeste non pertinebant, li-  
„ beras manere decrevimus.

—————

„ cupidis bonis decedentium Praelatorum aut etiam Ecclesiarum  
 „ vacantium nostri consueverunt antecessores committere pro motu  
 „ propriae voluntatis. “ Ecce dein adiectam, quae Imperato-  
 rem ad renuntiandum permotuerit, huc relatiuam illam rationem:  
 „ OMNIA NOS SPIRITALIA vobis, & aliis Ecclesiarum Praelatis re-  
 „ linquimus libere disponenda, vt, quae sunt Caesaris, Caesari, &  
 „ quae Dei, Deo recta distributione reddantur. “ \*

#### §. XXXIV.

Ex superioris deductis satis colligitur, firmissimum authoritatis eiusdem pastoralis fundamentum eiusque limitum & omnium totius retro antiquitatis Constitutionum congeriem in collectione Pontificiarum Decretalium comprehendendi. Hae autem postquam in Corpus Iuris ita dictum relatae sunt, simul vim Legis Imperii scriptae obtinuerunt. Nam in Constitutione FRIDERICI II. de anno MCCXXXV. Moguntiae promulgata, \*\* item a RUDOLPHO Recessu Heribopolensi anno MCCLXXXVII. \*\*\* postmodum Spirensi anno MCCLXXXXI. \*\*\*\* ac demum R. Imp. WORMAT. an. MDXXI. confirmatae in classem Iuris communis numerantur, & tanquam norma supremis Imperii tribunibus obseruandae praescribuntur. Si has quoque Constitutiones

cum

\* Vid. RIEGGER Corp. Iuris Publ. Ecclesiast. Germ. Academ. pag. 7.

\*\* Apud SENKENBERG in Collect. R. I. Nou. pag. 19. Cap. 15. seq.

Conf. etiam GOLDAST. Reichs-Satzungen P. 2. pag. 17. & cap. 15.

\*\*\* Ibid. pag. 36. §. 33.

\*\*\*\* Conf. LEHMANN Chron. Spirens. Lib. V. Cap. 108.

K. R. H. R. Ordnung, daß das Corpus Iuris Civilis und Canonici allzeit auf der Reichsbafraths-Tafel seyn solle, damit man sich derselben gebrauchen könne.

Conf. etiam CONRING de Orig. Iuris Germ. c. 26.

—————

cum illis Conciliorum ac Capitularium Regum Francorum comparare velimus, indubium euaderet, Summos Pontifices nil in Decretales suas hunc circa articulum inferuisse, quod non saeculis iam praeterlapsis statutum legitur; sic limites potestatis Episcoporum circa bona Ecclesiastica iisdem fere terminis determinantur, quibus in Conciliis & Capitularibus de iis statutum legitur; & eadem media ad se in possessione iurium tuendos in Decretalibus approbantur, quae in Conciliis & Capitularibus Episcopis concessa fuere: Censura Ecclesiastica, excommunicatio, facultas dilapidatores amouendi, ut & brachium sacerdotiale implorandi, Episcopis salva relinquuntur. Luculentius ad Leges Imperii nostri expressas accenseri meretur Pragmatica illa CAROLI IV. Imperatoris sanctio anno MCCCCLXXVII. promulgata,\* quea sicut integrum Immunitatis Ecclesiasticae complexum adversus excessivas Superioritatis Territorialis indies magis magisque exorescentis protensiones arbitrarias & recepto Imperii systemati adversas vindicare ac tueri conatur, ita Praefuses quoque Ecclesiasticos in antiqua sua, intendendi in conservationem & administrationem reddituum Ecclesiasticorum autoritate manuteneri praecepit, vt nihil contra eorum voluntatem Saeculares usurpare praesumant.

F 2

§. XXXV.

---

\* Apud BENI. LEVBER Magdeb. *Stappelung* n. 985. & in Chron. Mindensi apud PISTORIUM tom. 3. Script. German pag. 746. ibi conqueritur CAROLVS IV : „Quod praedicti Domini temporales, Consules & Rectores, „per secularem potestatem res & bona Clericorum occupant & arre- „stant, oblationes fideliuum diminuunt & restringunt; exactiones & ta- „llas indebet de bonis & Ecclesiae redditibus exigunt & extorquent, „possessiones Ecclesiarum & personarum earum diastant incendiis & „rapinis . . . donata & legata ad fabricas & Ecclesiarum structuras „contra Praetoriorum voluntatem & aliorum, quorum interest, prae- „sumunt usurpare contra iustitiam & in fraudem Clericorum.“

---

 §. XXXV.

Principia haec tam diuturnis Legibus moribusque in Imperio nostro Romano-Germanico firmata ac stabilita nec ingruens infelix illud Religionis dissidium a sede sua obseruantiaque hactenus imper turbata tam facile exturbare potuit. Grauamina quaedam Status Ecclesiasticos inter & plurimos Saeculares agitari coeperunt, mutuis tamen communicationibus modus, ea amicabiliter componendi, contentus atque ipsimet Caesari exhibitus fuit, eo fine, ut per ipsum, tanquam Caput Imperii, in formam Constitutionis redactus per universum Imperium promulgaretur, sub comminatione poenarum singulis obseruandus. \* Verum subsecuta quorundam Saecularium Statuum contradicatio propositum hoc Constitutionis Caesareae frustabat, ceu Recessus Imperii de anno MDXXXII. \*\* declarat. Sed nec tum de retinendo antiquo systemate desperari penitus voluit. Praeterquam enim, quod in R. Imp. Spirensi \*\*\* conferuandae pacis ergo omnium bonorum & reddituum Ecclesiasticorum quieta & tranquilla, ex alienis etiam territoriis, perceptio absque discrimine alterius Religions stabilita & adsecurata fuerit, simul etiam ob cunctationem Concilii & difficilem exitum ab experientia anteriorum Conciliorum facile pertimescendum, & ob modicam spem consensus communis Statuum Ecclesiasticorum & Saecularium de formula quadam Reformationis Ecclesiasticae in Imperio concinnanda confilia eadem atque proposita continuata sunt, statuendo, ut ea, quae ad hanc conducere possent, interea praeparentur, quatenus in proximis Comitiis ea perfici & promulgari possent. \*\*\*\*

---

 §. XXXVI.

\* R. Imp. de an. MDXXX. §. 133.

\*\* Tit. X. §. I.

\*\*\* R. Imp. MDXXXIII. Tit. IO. §. I.

\*\*\*\* R. Imp. de anno MDXLIV. §. 79. — 92.

## §. XXXVI.

Perfecta haec tandem fuit Eruditorum quorundam ac Illustrum  
 Virorum opera atque consilio anno MDXLVIII. sub nomine Reformationis Ecclesiasticae, INTERIM vulgo nuncupatae, promulgata; &  
 quia Status A. C. addictos sibi contradicentes inuenit Imperator,  
 eandem Catholicis saltem, ac praecipue Ecclesiasticis Statibus, Nor-  
 mae instar communicauit obseruandam, atque suis in Territoriiis ac  
 Dioecesibus & Synodis, sive Dioecesanis, sive Provinciis, vr-  
 gendam, prout enarrat Recessus Augustanus modo dicti anni §. XII.  
*Gleicher Gestalt haben wir einen Begriff einer Christlichen Reformation,*  
*den Geistlichen Churfürsten, Fürsten und Ständen auch der anwesen-*  
*den Botschaft eröffnen und fürhalten lassen, die haben dieselbe uns,*  
*zu unterthänigsten Gehorsam, als weit und fern sich ihres Amts ha-*  
*bender Befehl, Gewalt und Macht erstreckt, für ihre Personen ange-*  
*nommen, und sich deren unterwürfig gemacht, auch sich ferner erbo-*  
*then, solche in ihren künftigen Synodis Episcopatibus & Conciliis Pro-*  
*vincialibus ihren Suffraganeis, Prälaten, Kapiteln, Canonicis und*  
*Klerikis mit bestem Fleiß anzubringen und fürzuhalten, sich auch zu*  
*bearbeiten, die siebe, so viel menschlich und möglich, wie obgemeldet*  
*und in bestimmter Zeit, wie sie sich mit uns deren verglichen, ins Werk*  
*zu richten, der tröstlichen Zuversicht, die werde bis zu Erörterung*  
*obtermeldetes Concilii, zu Abstellung vieler Misbräuch und Ärgerniß,*  
*auch Pfanzung und Erhaltung christlicher Zucht, Wandels und Tu-*  
*genden nicht wenig furträchtlich seyn. Haec vero non in sola tantum*  
*Institutione Christianae Doctrinae & disciplina interna Ecclesiastico-*  
*rum rituum, videlicet Sacramentorum, Iyurgiac, vitac & honesta-*



tis Cleri & populi interim retinenda se continuit, sed ad Politiam  
 quoque externam se extendit, ac praecipue ad bonorum Ecclesiastici-  
 corum administrationem, inspectionem, curam, conservationem,  
 & applicationem quam maxime se extendit, & antiquum Imperii sy-  
 stema modis omnibus custodiri praecepit. Huc enim praecipue per-  
 tinent Cap. V. de Monasteriis n. 2. . . . . , Monasteria cuiuscun-  
 „ que ordinis a visitatoribus suis reformari, & Monachi in obedien-  
 „ tia & Religione sui ordinis contineri debent. Repugnantes vero  
 „ & Reformationis impatientes sine exceptione ad eam subeundam co-  
 „ gi. Quodsi visitatores ad hoc non sufficiant, debent aut Ordinarii,  
 „ aut Magistratus, vel Principis opem implorare. N. 8. . . . Oe-  
 „ conomus Monasterii Monialium debeat eis & Visitatori quater in  
 „ anno & quoties poscitur, reddere negotiorum suorum rationem.  
 Cap. VII. de Hospitalibus pauperum Infirmorum & Peregrinantium  
 n. 1. . . . . , Debet nihilominus aedibus illis, de omnibus ad  
 „ infirmorum curam pertinentibus, ex aerario communi Monasterii  
 „ vel Collegii sufficienter prouideri, idque pro dispositione Episcopi,  
 „ aut Ordinarii Ecclesiastici illius loci. N. 4. . . . , Curandum est,  
 „ ut Administratores dent Provisoribus a communitate delectis, quater  
 „ in anno rationem, ne & ista, casu simili, quo illa, pereant, & pau-  
 „ perum res per fraudem distrahabantur. Superiorum vero omnium  
 „ inspectio ad visitationem pertinet Episcopalem, aut Praelatorum, qui  
 „ bus de consuetudine eius loci cura haec incumbit., Cap. XIX. de  
 disciplina populi n. 6. . . . . , Principes saeculares & Magistratus  
 „ ciuiiles, non patrocinentur eis, qui in Clero & populo reformari  
 „ detrectant, sed Episcopis & Praelatis Ecclesiae sint auxilio, eo-  
 rumque

„rumque Decreta fideliter exequantur, & ordinem praescriptum co-  
 gant obseruare. Iurisdictionem quoque & libertatem ac immuni-  
 tam Ecclesiasticam, Imperatorum Legibus & Sacris Canonibus  
 Episcopis & Clero tributam ac firmatam tueantur, ipsisque con-  
 servent. At hi, qui Praelatos, Ecclesias, eorumque bona in  
 fidem, tutelam, ac protectionem suam recepere, & contra si-  
 dem datam, praefectura seu protectione sua abusi, Ecclesias, quas  
 tueri debebant, gravia & iniqua onera ausi fuerunt imponere,  
 aequum est, ut praefectura seu tutela per Caesareae Malestatis  
 Commissarios amoueantur: eis autem, qui abusi non sunt, limi-  
 tes & ius praescribantur, ut aperte constet, quid alteri alteris  
 intuicem debeant. „ Cap. XX. de Visitatione n. 5. . . . .  
 „ Aedificiorum & Bibliothecae status inspici debent: de praediorum,  
 censuum & iurium conseruatione inquirendum. . . . . De ae-  
 diliis, de sacrificiis, seu custodibus, num ornamenta, vestes, sa-  
 cræ reliquiae, vasa aurea & argentea, aedificia, census, praedia  
 bene conseruentur. . . . . Inquisitione facta, quae recte se  
 habent, laudabit: quae male, castigabit & corriget. „ Cum an-  
 tem Statibus A. C. addictis hanc Reformationem Ecclesiasticam in-  
 vitis obtrudere haud voluerit, vel authoritatem Episcoporum in ip-  
 sum Territorii severius urgere, in Reformatione quoque Politica,  
 vt pro vniuerso Imperio omnibusque Statibus pariter Augustae  
 eodem anno condita, \* „ Curatores quoque Ecclesiarum obligan-  
 tur

---

\* Tit. XXXI. von den Pupillen, und minderjährigen Kindern, Tuitern und  
Vermündern. §. 4.

—————

„ tur ad rationes suas fideliter annuatim reddendas legitimis & com-  
 „ petentibus Superioribus [vt nimur haec Reformatio Statibus  
 „ & ditionibus quoque A. C. addictis accomodataretur] qui ipsi ad  
 „ easdem exigendas & iuramenta iisdem imponenda sedulo admo-  
 „ nentur. Et Imperator ipsemet promittit se curaturum eandem  
 „ exacte obseruari. „

§. XXXVII.

Receptae in Imperio inter Catholicos saltē vtriusque Status,  
 Ecclesiastici videlicet & Saecularis, ordines formulae antedictae Re-  
 formationis Ecclesiasticae praeclarum argumentum & exemplum de-  
 dit Eminentissimus Archiepiscopus & Elector Moguntinus SEBASTIA-  
 NVS AB HEVENSTAMM, cum a Comitiis Augustanis reversus Syno-  
 dum Dioecesanam vigesima octava Septembris eiusdem anni & se-  
 quentis an. MDXLIX. Provincialem celebrauit, in eaque formulam  
 praedictam promulgavit. Visitatoribus autem ad hoc munus depu-  
 tatis per edictum publicum vel commissorium & chartam Visitatio-  
 nis generalem in mandatis dedit: daß sie die Praelaten und Für-  
 stehern samt und sonders mit geschworenen Eiden dahin anhalten sollen,  
 daß sie des Gottesdienstes halben, und mit was Maas und Geftalt der-  
 selben Kirchen und Klößtern, Gueter, Recht und Gerechtigkeit regiert  
 und verwaltet, dazn die schuldigen Rhenten und andere Gefälle aus-  
 getheilt werden, gleichermaßen auch was deren entäusert und alienirt,  
 und wie jährlich die Rechnung beschehen, auch genugsam Bericht thun.  
 Nec segnior fuit in acceptanda ac promulganda vrgendaque ad Execu-  
 tionem eadem Reformatione immortalis memoriae huius Ecclesiae Wir-

ee

ceburiensis Episcopus & Princeps MELCHIOR ZOBEL A GUTTENBERG,  
qui & ipse met Comitiis iisdem Augustanis de anno MDXLVIII, pro  
ardentissimo suo in Religionem & Status Publici Germanici tranqui-  
litatem felicitatemque Zelo interfuerat, die duodecima Nouembris  
in Choro huius Ecclesiae Cathedralis S. KILIANI Synodum celebra-  
vit, ibique saepa laudata formulam Carolinam promulgavit, imo  
Moguntiae Typis publicis excusam per vniuersam Dioecesim divul-  
gavit. \*

### §. XXXVIII.

Pluribus aliis similius receptionum & promulgationum per Sy-  
nodos Dioecesanas & Prouinciales exemplis, ob temporis & pagel-  
larum angustias, supercedendum mihi esse video. \*\* Vnum Colonien-  
sem Archiepiscopum & Electorem ADOLPHVM silentio praeterire ne-  
queo, qui duas Synodos Dioecesanas & Prouinciales vnam eo fine  
habuit. Ex hoc praeferit capite praecipue laudandus, quod non  
tantum, sicut in caeteris Conciliis, saepetata formula Reformationis  
Carolina omni cum encomio acceptata, promulgata, & ad Com-  
prouinciales Episcopos, vt illi in suis quoque Dioecesibus idem face-

G

ren,

---

\* Acta huius Synodi exhibet nouissima scriptorum & rerum Wircebur-  
genium collectio studio P. IGNATII GROPP. Tom. I. p. 311.

\*\* Qui haec peruvoluere desiderat, adeat Clariss D. ANDREAS BRAEBURGER  
L. V. L. Commentationem Iuris Ecclesiast. de formula Reformationis  
Ecclesiasticae, vbi Paderbornensem, Leodienensem, Augustanam, Tre-  
nirensim, Argentinensem, Spirensim, Salisburensem, Cameracensem,  
Synodos respectuue Dioecesanas & Prouinciales prolixius recenset.

rent, transmissa fuerit, sed quoniam in dicta Synodo potissimae consultationes ac deliberationes eo tendebant, quoniam pacto formula illa finem, quem intendit, adsequeretur, qua ratione stabilis, efficac & perseverans dictae Reformationis executio evaderet, atque optima eius media constituerentur, atque praeterea in Synodo sua Dioecesana, praeter multa pie & religiose iam constituta, se adhuc plura alia praestitum promisit, & quod omni studio ad visitationem ordinariam & canonicam parare & accingere se, arque hac mediante ea, quae Caesarea Reformatio & Synodi suae constituisserint, debitae executioni demandare vellet; quare omnibus & singulis, quibus hoc ex officio incumbit, mandauit, ut Reformationem Caesaris in dicto suorum conuentu diligenter relegerent, ac omnia ad illius praecriptum in suis Ecclesiis & Monasteriis componerent, & si qua in re impedirentur, id ad ipsum Archiepiscopum referrent. Dedit praetera plenam liberamque potestatem ac mandatum viris quam maxime idoneis, omnes & singulas Ecclesias suae Archidioeceseos secundum SS. Canonum Decreta & Caesareae Reformationis formulam visitandi, eaque de re Clerum & populum vbiuis ad comparendum & se Visitationi submittendum canonice euocandi & monendi.\*

§. XXXIX.

\* Commissorium, quod ADOLPHVS Visitatoribus dedit, lectu dignum est, ubi inter caetera haec occurunt: „Divina exempla cum superiori tempore nobiscum animo voluntaremus, & de illorum executione crebre (ut par erat) cogitaremus, & solliciti essemus, en commissa dum Inuictissimus & Religiosissimus Imperator CAROLVS V. Augustus in proximis Augustianis Comitiis eius, quod factum oportuit,

## §. XXXIX.

Altera praecipua huius Synodi Prouincialis Colonensis prae-  
gatua haec est, quod eadem ab Imperatore pro vniuersa Germania

G 2

fpe.

uit, auspicandi semel, & agendi viam aperuit. Nam Reformatio-  
nis futuris formula Statibus Ecclesiasticis proposita non satis esse  
putauit; indicasse normam aliquam, Canonicis institutis consentia-  
neam, secundum quam & viueretur & doceatur in Ecclesiis Ger-  
maniae, usque ad Concilii generalis determinationem; sed & ido-  
neos tramites & modos eiusdem Reformationis exequendae, secun-  
dum Euangelicas, Apostolicas & Ecclesiasticas Leges ostendit, quos  
& Praelatos intra certa praefinita tempora amplecti omnino voluit,  
ac iussit. Quae nimium sunt accurata Prouincialium & Dioce-  
narum Synodorum celebratio, ac deinde diligens Ecclesiarum visi-  
tatio. Nos igitur cernentes tam Religiosis Caesareae Maiestatis  
iussis officium non parum adiuvari, quod confidamus authoritatem  
cuius, omnia impedimenta, quae haud dubium Reformationis im-  
patientes, Episcopis alioqui obiecissent, e medio sublaturam, ce-  
lebratis iam per Nos pro memoratae Reformationis executione, vna  
Prouinciali & duabus Diocestanis Synodis, & in his communis  
consilio & assensu permultis pie & religiose constitutis, quibus  
priori Caesareae iussionis parti satisfactum esse speramus: superesse  
videmus, vt alteram quoque partem, quae est de visitando & in-  
spiciendo gregem Dominicum Nobis concreditum, cooperante Deo,  
vt coepimus, profsequamur: verum, cum hoc tam magnum & ne-  
cessarium visitationis opus ... per Nos ipsos ... gerere & subire  
nequeamus, vobis, de quorum singulari doctrina, pietate, zelo,  
prudentia & circumspectione plurimum in Domino confidimus,  
quam & multa experientia compertam habemus, vices nostras prae-  
tentum per tenorem committimus,

speciatim approbari meruerit; Antea iam Imperator Saeculi Carolingici spiritu animatus fuisse videtur, vbi, quaecunque Deo oblata sunt, ad Ius Sacerdotum pertinere existimans, visitationem circa temporalia bona & redditus Ecclesiarum Episcopis detulit atque referuauit, & in ipsa formula Reformationis Ecclesiasticae saepe memoratae capite de disciplina populi Principes ipsos saeculares, multo magis Magistratus subalternos, sicut missos regios & comites Carolingici Imperatores quandam ad Episcopos in exercendis iuribus suis adiuuandos admonuit, ne vero patrocinentur eis, qui in Clero & populo reformari detrectarent, severissime dehortatus est. Nunc autem Statuta memoratae Synodi Coloniensis Prouincialis executioni mandari per vniuersam Germaniam iussit, omnesque, quicunque sint, monuit, ne executionem ullo modo impediант, sed in refreshandis & coercendis iuxta Decreta eadem rebellibus omnem legitimum fauorem, auxilium, & opem Episcopis Ecclesiarum & Praelatis, vbi ab illis requisiti fuerint, praebant. Edictum desuper speciale refert HARZHEIM. \* Imo ipsumet ADOLPHVS, aut potius eius nomine Commissarii in Synodo Dioecesana praeidentes praeter Pontificiam approbationem per Nuntios Apostolicos significatam ad Edictum simile Caesaris approbatorium prouocant. \*\* Quod idem

in

---

\* Concil. Germ. Tom. VI. pag. 562.

\*\* . . . Quamplurimum referre, si sua Celsitudo memorata Decreta,  
 „ licet iam communis assensu vniuersi Concilii sui Prouincialis pie &  
 „ mature constituta, Inuicissimo tamen & Religiosissimo Imperatori  
 „ CAROLO V. Domino nostro Clementissimo, ut inti ex eius Reformatio-  
 „ nia;

in Commissorio sive mandato delegatorio Visitatoribus suae Archi-  
G 3 dioe-

„nis formula Statibus Ecclesiasticis in Comitiis Augustanis proximis  
 „proposita, & ab eisdem recepta, fluxerunt, ac simul etiam Sanctissi-  
 „mi Domini nostri Papae, sanctaeque Sedis Apostolicae, Reu. Domini  
 „nis Nuntiis peruidenda, & sicubi videretur, emendanda, & ap-  
 „probanda offerret, quo illarum ambarum summarum potestatum  
 „approbatione & autoritate interueniente tanto felicius prodirent in  
 „Publicum. Hoc igitur salutare Consilium Reuerendissimus Dominus  
 „noster infecutus quam maxime ad se, vt curaret, pertinere putauit,  
 „ne haec authoritas sui Decretis prouincialibus, sine qua forsitan le-  
 „uior repurarentur, deessent. Sed cum eius adhibito tum apud  
 „Reu. Dominos Nuncios, tam apud Caesaream Maiestatem ob innu-  
 „mera eaque quam maxime ardua sacri Imperii negotia in quartum  
 „usque mensem extraheretur, factum est, vt in memorata executio-  
 „ne (quamvis iam dudum valde desiderata) nullus potuerit citius  
 „fieri progressus. Caeterum cum iam proximis diebus Reuerendissi-  
 „mus Dominus noster ex literis ad se tum a Caesare; tum a Reu. D.  
 „Nuncios Apostolicae Sedis perlati non sine magna animi voluptate  
 „& exhilaratione accepit, saepe memorata sui Prouincialis Conci-  
 „lli Decreta, post corundem diligentem & maturam expensionem,  
 „veluti diuinis Scripturis & sacris Canonibus, memorataeque Refor-  
 „mationi Augustanae per omnia consentanea in totum esse recepta,  
 „& approbata, ac praeterea Caesarem etiam motu proprio feriam  
 „mandatum decreuisse, quo in uniuersum omnibus, in uniuersa Pro-  
 „uincia sua Reuerendissimae Celsitudinis degentibus, cuiuscunque etiam  
 „dignitatis, status, gradus, & conditionis fuerint, non sine commi-  
 „natione incursionis grauissimae indignationis suae, si contrarium  
 „a quoquam factum fuerit, demandatur, vt his Decretis reuenerenter  
 „pareant, & exequendas etiam eis se praebent promptos, slaves, &

para-



Dioeceseos pro executione designatis edito repetitur.\* Legi igitur Imperii scriptae inter Catholicos saltem Status vigenti vim aperte ille Magistratus inferre videtur, qui sub praetextu temporalium, dis-

posi-

„ paratos, & quemadmodum idem Caesareum Mandatum fuisus continet, quod & huic Synodo praelegetur. Profecto sua Celsitudo non diutius morandum rata statim eius Decreta cum Caesareae Maiestatis mandati praefixione aeneis typis excudi, & in hac sua Synodo rursus publicari mandauit — Ut ea publicatione via futuram visitationi, ad quam sua Celsitudo toto animo & conatu properat, per totam Dioecesin suam, quamprimum omnino fieri poterit, peragendae praeferneretur. Mandato igitur eius ad nos perlato satisfacturi in medium exhibemus memoratae Caesareae Maiestatis Mandatum in ipso authographo, seu ut vulgo vocant, in sua originali & authentica forma, ut Caesare ipso propriis digitis subscriptum & sigillatum est, quod publice per Reu. D nostri Secretarium praelegi & vobis simul cum Decretis Concilii Prouincialis nuper licet in Prouinciali Concilio praelectis, rursus publicari mandamus. Requirentes omnes, & singulos in eiusmodi Mandato generaliter & specialiter nominatos, tam Ecclesiasticas, quam seculares personas, cuiuscunq[ue] etiam dignitatis, gradus, status, & conditionis fuerint, siue praesentes, siue absentes, quatenus eidem Mandato Caesareae Maiestatis, vti suam, Ecclesiae Catholicae sumini Aduocati, & Religionis vniici vindicis, ac Decretis Prouincialibus eo ipso Mandato roboratis, & communis humiliter & prompte pareatis facturi & adimpleturi omnia, quae inibi facere iussi estis, modo poenas eodem mandato, nec non in memorata Reformatione, & in ipsis Decretis Prouincialibus Concilii & sacris Canonibus comprehensas, euitare velitis, „

\* Vid. §. praeced.

positionem authoritativam sive bonis Ecclesiasticis vel Oeconomiae  
societatum Ecclesiasticarum sibi vindicaret, & Episcopis Germaniae  
illam ex integro denegare vellet; abstrahendo, an talis in Leges  
Iuris Ecclesiastici vniuersalis impingat, nec ne; certum & indubia-  
tum saltem erit, illum potestatem sibi arrogare, quae ex obseruantia  
antiquissima & Imperii Legibus scriptis in Episcopos translata omni  
aenio extitit, quam coeteri tueri tantum & adiuuare iubentur; imo  
grauem indignationem Caefaream ibidem intentatam sibi accersere,  
qui vano isto praetextu Episcopis in Visitatione suae Dioecesos  
tanquam functione maxime necessaria remoram iniicere vellent, vel  
tantum auxilium requisitum ferre renuerent.

#### §. XL.

Et haec quidem perpetua fuisse ac perseuerasse, gliscente iam in  
Imperio animorum circa Religionem diffensione, Catholicae partis  
Statuum Imperii sensa nemo dubitat. Ab his autem nec eam par-  
tem, quae ad Augustanam Confessionem transiit, alienam ex integro  
fuisse, aut in contrariam omnino partem ab initio discedere voluisse,  
Historia Reformationis sic dictae comprobat. Etenim Episcopos  
Dioecesanos equidem sensim ab administratione bonorum Ecclesiasti-  
corum & fundacionum piarum intra limites ditionum suarum aut ter-  
ritoriij existentium excludere coepérunt. Ipsi tamen eandem hanc  
Episcoporum qualitatem tanquam inseparabilem sibique propriam at-  
tribuerunt. Tam longe videlicet aberant, ut haec bona ad se ipsos,  
tanquam territoriales sub qualitate Principis, pertinere, aut in pro-  
prietate Status Politici, instar aliorum domaniorum Principis, exi-  
stere crediderint. Sed illa ad solos usus Ecclesiasticos, sacros, pios,

cultus



cultus diuini, eiusdemque Ministrorum, atque pauperum praeterea sustentationem necessario a se impendenda esse fassi sunt, in eo tantum a Catholicis atque Episcopis se separantes, quod ab usibus superstitionis, imo, ut aiebant, idololatricis ac plane puerilibus, ad quos isti illa conuertissent, ad alias vere pios longeque meliores a se vindicari dictarent. De LVTHERO ipsomet testatur VITVS LVDOVICVS A SECKENDORFF \*: „Nihil minus spectauit LVTHERV, quam „vt Principes ex bonis Ecclesiasticis ditescerent, & cum iam tum „quosdam circa rem abusus ex literis HESSI, Uratslania ad se „scribentis, perciperet, respondit nihil mirum, si Principes in „Euangelio sua quaerant; & raptore noni raptoribus veteribus „insidentur. Lux orta est, qua videmus, quid sit mundus, nem „pe regnum Satanae. Sic & Paulus queritur, omnes quaerere, „quae sua sunt. Porro haec ipsa nos animare debent, quod om „nia respondeant priscis exemplis Euangelii (Lib. II. Ep. p. 234). „Acrius etiam apud SPALATINVM expostulauit, exprobravitque in „gratitudinem, quod non agnosceretur in aulis, per Evangelii „doctrinam & animabus consultum esse, & substantiam mundi „non paruam ad marsupium Principis redire, unde scilicet habe „rent, quod ad pios usus impenderent. „Inde Visitationum Decreta authoritate Principum variorum A. C. addictorum aut aliae Ordinationes Ecclesiasticae eo tempore editae eandem ipsorum religionem atque protestationem de bonis Ecclesiasticis & piarum foundationum a Dominio & usibus profanis etiam publicis five Statum

Po-

---

\* Comment. de Lutheran. Lib. I. Sect. 62. §. 179. p. m. 307.

Politicum immediate extra casum necessitatis ad Dominium eminentis qualificatae concernentibus separandis & segregandis seuerissime inculcant; imo maxima sibi conscientiae duxerunt, si vel obulus in aerarium ipsum Principis profanum, multo minus in rem ipsam familiae Principalis conuerteretur. Plurima exempla Princeps variorum A. C. magnanimorum & aequissimorum allegat I. CHRISTIAN. MAJER,\* quem hic nominasse sane laudasse est. Terras tantum Religioni Aug. Conf. vel reformatae sic dictae addictas peragrare sufficit, & lapides ipsi loquentur tot fundationum piarum, hospitalium diversi generis ad sublevandas humanas calamitates, scholarum, Uniuerstatum amplis dotibus instructarum, in quas Monasteria & Ecclesiastica Collegia &c. conversa sunt. Unum tantum exemplum tacitus praeterire nequeo. PHILIPPVS Hassiae Landgravius iam tumante captiuitatem suam Monasterium quoddam sustentandis & custodiendis aut submouendis a civium consortio amentibus ac furiosis destinaverat. CAROLVS autem V. veterum inquilinorum Monachorum precibus exoratus Commissarios dedit, qui eosdem in pristinam suam possessionem restituerent. Hi ipsi vero Praesidibus loci amentes, quos suos nunc Monachos nuncupabant, ostentantibus eorum tanta commiseratione moti sunt, vt, executione sua d.lata & omissa, Caesari desuper prius referendum esse, ac mitiora consilia fuggerenda putarent eo cum successu, vt Monachorum petitione reiecta amentes stationem suam recens occupatam retinerent.

\* Ueber das Eigentum an den geistlichen Gütern, und dem Heinsall bey vorgegenden Stifts-Innovationen nach den gemeinen Reichsrechten. Cap. 2. §. 43.

## §. XLI.

In condenda Pace Religiosa, cuius argumentum praeter libertatem conscientiae bona Ecclesiastica praecipuum sunt, Ipsi etiam summi Complices vtriusque Partis in hoc unanimes plane fuerunt. Catholici quidem desiderabant disertis verbis: *Doch sollen solche Kirchen-Güter und geistliche Gefälle (der Protestantenten) in denen Orten, da sie gefallen, bleiben, und zu keinen Profan-Sachen gebraucht, sondern allein zu Unterhaltung der Kirchendiener, Universitaeten, Schulen, Spitätern, Armen, Stipendiaten — und den gleichen pios usus verwendet werden.* \* Protestantes autem, quamvis Episcopos in suis ditionibus ab illa authoritate exclusos volent, Ipsi tamen eandem legem administrationis circa illa sibi dictam putare, & hac violata iram diuinam vindicem & grauissimam populorum sibi subiectorum offensam & scandalum se reformidare contestati, ab omni tantum coactione & Imperio Catholicorum aut rationibus desuper reddendis immunitatem & libertatem sibi stipulati sunt. Unde Catholici quoque eandem de illis fiduciam, imo de actuali eiusdem implemento, quoad bona Ecclesiastica haec tenus per ipsos immutata atque reformata maxima ex parte plenum & luculentum iisdem testimonium per solennes Pacis Religiosae tabulas serae posteritati transmiserunt. \*\* *Dieweil aber etliche Stände und derselben Vorfahren, etliche Stifter, Klöster und andere Geistliche Güter eingezogen, und d' eselbigen zu Kirchen, Schulen, Milden und anderen Sachen angewendet, so sollen auch solche eingezogene Güter, welche denjenigen, so dem*

---

\* LEHMANN A. et. Pac. Rel. pag. 15.

\*\* Pac. Relig. §. XIX.

dem Reich ohne Mittel unterworfen und Reichstände sind, nicht zugehörig, und dero Possession die Geistlichen zu Zeit des Passauischen Vertrags, oder seithero nicht gehabt, in diesem Friedstand mitbegreifen, und eingezogen seyn, und bey der Verordnung, wie es ein jeder Stand mit obberührten eingezogenen, und allbereit verwendten Gütern gemacht, gelassen werden, und dieselbe Stände derenthalb weder innoch außerhalb Rechtern, zu Erhaltung eines beständigen ewigen Friedens nicht besprochen noch angefochten werden. Quo ipso a pristino suo desiderio antea recensito desistentes conscientias saltem suas in eam Constatuum suorum exoneratas voluerunt, ne pacis dudum anhelatae vel conclusio diutius differretur, vel post conclusionem post hac turbandæ frequens ansa recrudesceret.

### §. XLII.

Pax demum Westphalica quam longissime aliena fuit ab illis Principum etiam Protestantium sensis circa bonorum Ecclesiasticorum usus & applicationem immutandis, quae publice saltem hactenus in Actis publicis professi fuerant, quamvis forsan singuli hinc inde facto ipso pro circumstantiis temporum & Ministrorum aulicorum aut Doctorum auribus blandientium sinistris persuasionibus inducti secus aliquando egisse comprobentur. Recentiores Doctores equidem qualitatem duplicem in Domino Territoriali, vnam qua Principe Politico, alteram qua Episcopo, distincte considerandam reiiciunt. Bonorum tamen Politicorum saecularium atque profanorum tum aliorum Ecclesiasticorum indolem sive destinationem plane diversam ex ipsis diversis eiusdem Pacis locis atque textibus reliquam esse aperte conuincuntur, ut haec nimirum posteriora nequaquam

H 2

sub



sub Dominio vel proprietate immediata Status politici ac arbitraria liberrimaque Principis ad quoscunque usus promiscuos disponendi facultate constituta censeantur. Sicut enim ipsi Status Protestantes eadem vi Iuris sui reformandi in alios pios usus conuersa esse praetenderunt, ita Catholici haec illis, quae recuperandi spem omnem ex virium debilitate tum abdicaverant, & iuxta suae conscientiae dictamen possidenda posthac & administranda applicandaque reliquerunt. Huc plurimum sane conductit Pac. Osnabrug. Art. V. §. 24.  
„ Qui Archiepiscopatus, Episcopatus & aliae fundationes atque bona Ecclesiastica immediata in satisfactionem Regiae Maiestatis, Regnique Sueciae, aut aequivalentem recompensationem, in demnitatemque suorum foederatorum, amicorum & interessatorum concederunt, „ sedulo distinguit ab aliis bonis Ecclesiasticis sive immediatis sive mediatis, quae vigore huius Art. V. ratione gravaminum Religionis Protestantibus sive Statibus sive subditis relinquuntur. Priora enim reapse penitus saeculo addicta sunt, & in Principatus saeculares commutata. Quoad bona ex capite gravaminum Religionis in deliberationem atque tractatus deducta applicatio in usus pios Religionis vtrinque supponebatur. Controversiae cardo in eo fuerat, quod Principes & Status Protestantes exclusis Episcopis vi Iuris reformandi & Episcopalis sibi iuxta principia sua adrogati & demum a Catholicis non amplius in hac Pace contradicti eadem in commodum & utilitatem Religionis suae A. C. addictae conuerterint; illa tamen in usum solitariae Religionis Catholicae a suis fundatoribus destinata Catholici praetenderint. Inde primum ad tempus duntaxat certorum annorum & lustrorum vel

Deca-

Decaduti nominatarum relinqui voluerunt, sed demum ad indeterminatum licet tempus, sed suo tamen modo cum spe aliqua redditus ad pristinos usus Religionis etiam Catholicae cessa fuerunt, \* donec de Religione Christiana vel universaliter, vel inter Status immediatos eorumque subditos mutuo consensu aliter conuentum, vel ut alter Sphus eiusdem Art. V. de suspensione Iuris Dioecesani & totius Iurisdictionis Ecclesiasticae cum omnibus suis speciebus, quo certe iuxta Systema antiquum Imperii eminens omnium bonorum Ecclesiasticorum administratio ac superintendentia pertinuerat, statuens hanc ipsam clausulam restrictivam repetit: usque ad compositionem christianam diffidit Religionis. Hac enim contingente non tantum ad usus pristinos bona illa seclusa speciali alia providentia restitui deberent, sed etiam ipsa Praetoriorum Catholicorum authoritas in eadem revisceret, atque ad usum & executionem reduci posset. Perpetuitas conditionata possessionis rebus sic permanentibus A. C. addictis relinquendae per hanc clausulam hic non impugnatur; ex ipso enim difficultate eventus satis adsecuratur. Neque una pars summorum compacientium alteram ad reddendas super applicatione bonorum ad usus pios rationes obligatam voluit. Ne enim nova litium & controversiarum materies inde succresceret, Catholici superioritati Territoriali & coniunctae cum eadem Episcopali causarum piarum follicitudini Protestantium Statuum totum reliquerunt; consequens

H 3


inde

---

\* P. W. Art. V. §. 25.

Ibid. . . . §. 31.

Ibid. . . . §. 48.



inde fuerat etiam Episcopis Catholicis accidente plerunque mutua cum Dominis Territorialibus, quibus societas Ecclesiasticae bonorum & redditum alibi licet sitorum proprietariae subsunt, communicatione, quantum aequitas vel specialia Dioeceseum cum vicino Principe Pacta anteriora exigunt, ac insuper Principia Religionis & conscientiae nec non forma Ecclesiasticae Hierarchiae permittunt, eandem libertatem ex aequalitate mutua Partium utriusque Religionis non constringi. Hoc unum inde concluditur neutram partem compacifcentium huius mentis fuisse atque propositi, ut bona haec in proprietatem Principum saecularium & liberrimam ad quoscunque usus promiscuos dispositionem instar aliorum saecularium abdarentur. Imo ipsa illa suspensionis Iurisdictionis Ecclesiasticae & antiqui Iuris Dioecesani in territorii Statuum A. C. additorum per modum regulae constitutae limitatio *ad consequendos reditus, census, decimas & pensiones* non leve certe nec contemnendum est antiquae authoritatis Episcopalnis alias in Imperio universo respectu bonorum Ecclesiasticorum agnitae vestigium atque argumentum.

### §. XLIII.

Atque haec quidem de Protestantibus Principibus quoad bonorum horum Ecclesiasticorum usus saltem per Leges & Pacta publica ad minimum fiducialiter limitatis sufficient. Ad Episcoporum authoritatem secundum principia Imperii antiqua inter ipsos Catholicos respectu sui invicem assertam redeo. Et quid multis opus est? quid antiquis enumerandis diutius immoramus? Capitulatio Caesarea a multo iam tempore Caesarem neo electum adstrinxit &

Ipsum-

Ipsummet Augustissimum JOSEPHVM II. modo feliciter imperantem adstringit ad procurandum omnibus modis penes sedem atque curiam romanam: daß nicht die Erz- und Bischöffe, wenn zumalens derselben authoritate pastorali zu Verbesserung und Vermehrung des Gottesdienst, auch zu Conservation und mehrerer Aufnahme der Kirchen, wider die ungehorsamen und üble Haushälter verfahren hätten, mit Monitorii, interdictis, und Comminationibus oder declarationibus censurarum übereilet, oder beschwert werden mögten, sondern wollen solches alles mit den Churfürsten, Fürsten und anderer Stände Rast kräftigst abwenden und vorkommeu. \* Nisi verbis istis eorumque contextui vim manifestam inferre quis voluerit, dissiteri non poterit praememoratae observantiae luculentam in toto Imperio agnitionem Statuum consensu hic declarari. Quomodo enim Status atque Electores Imperatori proponere potuissent, ut sepe impediturum spondet, ne Episcopi vel Archiepiscopi in possessione Iuris turbarentur, & a summo Pontifice seu curia romana ante petitas literas informatorias mandatis haud gravarentur, si, ut adversarii volunt, hoc Ius iis non competeteret. Statibus proinde ac Elektoribus indubitum constare debuit id ipsum ex observantia Episcopis Germaniae competere, & ne quarelæ forsitan ab inferiore Rectore ob malam honorum Ecclesiasticorum administrationem suspecto, suspenso vel deposito, ad Summum Pontificem delatae, in exercitio iuris istius pasto-

---

\* Art. XIV. §. 2.

§. 105.

Conf. Capit. Caef. art. 19. §. 6.



pastoralis superiores mediatos impeditrent, curam tam sollicitam gessisse videntur. Quidquid singulari plane animadversione dignissimum est, quod iidem capitulationis conditores eandem regulam generalem, quam Status Imperii in recessu Imp. nov. \* supremis tribunalibus sedulo observandam inculcant, si lis Dominum Territoriale inter & subditos eius proprios versatur, ad hunc etiam casum Episcopi Dioecesani vel Metropolitae contra inferiores Rectores Ecclesiarum iuri eiusdem Dioecesano vel Metropolitico subordinatos procedentis prospero successu accommodandam putaverint.

#### §. XLIV.

Denique authoritati huic Episcopali in temporalia Ecclesiarum bona, vtut in extraneis vicinorum Principum Statuumve territoriis sita, noviora etiam supremorum Imperii tribunalium praeiudicia suffragantur. Excelsa enim Camera Imperialis anno MDCLXXXIV. die decima sexta Octobris ad implorationem Reuerendissimi Vicariatus Wormatiensis contra Principale Regimen Leyningense, quod praedictum Vicariatum in oblignatione, inventarisatione, ac distributione Haereditatis relictæ a FRIDERICO IUNCKEN. defuncto Parochio in Pfeffingen, Mandatum sine Clausula de non amplius turbando superque idoneam cautionem praestando, nec via facti, sed iuris proeedendo edidit. Alterum est Conclusum Excelsi Consilii Imperialis Aulici die vigesima secunda Maii MDCLXXXIV. in causa Dinkels-

pühl

---

\* §. 105.

Conferatur etiam Capitulationis Caesareae Art. XIX. §. 6.

pühl contra Dinkelspühl punto Administrationis Ecclesiae Catholicae ibidem ac innovationum & ordinationum eo pertinentium, ubi superintendentia Episcopalis in redditus Ecclesiasticos, eorumque ratiocinia, efficacissime inculcatur, praesentia insuper & interventus Parochi nomine Episcopi in ratiociniorum redditione tanquam inevitabilis atque nullatenus omittenda agnoscitur ac jubetur; ejus vero omissione, aut neglecta Consensus Ordinarii requisitio in suscipiendo aere alicno nomine Ecclesiae, vel in Capitallibus ejusdem nomine elocandis, vel additionibus aut augmentis salariorum Officialium exinde adsignandis, gravissime parti Senatus Catholicae reprobatur. Simile exemplum exhibit Conclusum ejusdem Augusti Senatus de decima Februarii 1785. sub rubro: *Worms Reichs-Stadt punto Moratorii &c.* vigore ejus Magistratui Civicu rescriptum fuit: *Im übrigen bleibt die eigenmächtige und unverzinsliche Geld- Aufnahm von geistlichen Stiftungen zu Bestreitung der ordinären Ausgaben, nach wie vor, bey Strafe der Restituzion ex propriis untersaget &c.*

#### §. XLV.

Sed vicissim etiam potestatem politicam sub certis suis obtutibus jam delineatis & praelibatis sine injuria excludi non posse supra praeoccupavi. In isto vero, quem haec tenus discussimus, intuitu ad usus Ecclesiasticos & a piis fundatoribus praefixos Jus Protectionis, Tutelae & Advocaciae, idque satis amplum nunquam praetermittendum negligendumque esse admoneo, quod tanquam Custodes, Vindictores & Executores Juris tam divini quam Ecclesiastici, praesertim ad implorationem ipsiusmet Ecclesiae & Hierarcharum su-

I

perio-



teriorum interponere possunt. Hujus rei exemplum Libri ipsius Regum exhibent. \* Quamvis enim Thesaurus & dona templi sub cura extiterint Pontificis & Sacerdotum: omnem enim pecuniam Sanctorum, quae illata fuerit in templum Domini a praetereuntibus, quae offertur pro remedio animae, . . . . accipient Sacerdotes juxta ordinem suum, & instaurent farta tecta; haec tamen cum instaurare neglexissent, Pontifici deinceps adjunctus est Scriba regius, ut ambo illata numerarent, & farta tecta curarent, haud dubie, ne prior aliorum inferioris Ordinis Sacerdotum aut negligentia & incuria, aut tenacitate & cupiditate diutius impeditur.

### §. XLVI.

In primis adeo nascentis Ecclesiae Christianae incunabulis, ubi sub dura adhuc gentilium persecutione ingemuit, etiam gentilis Principis protectione laetari aliquando potuit. Cum enim PAVLVS Samosatenus teste EVSEBIO \*\* morem gerere detrectaret Decreto Concilii Antiochiae adversus eum eiusdem urbis Episcopum congregati, nec domo Ecclesiae excedere vellet, jussit AVRELIANVS Imperator, illi eam addici, ad quem Episcopi Italiae & Romanus Praesul rescripsit. „ Iis (verba sunt EVSEBII de AVRELIANO) domum tradi praecipiens, quibus Italici Christianae Religionis Antistites & Romanus Episcopus scriberent. „ Fateamur ergo, necesse est, Episcopos fundorum Ecclesiasticorum usumfructum & administrationem habuisse penes se, ut eos tuerentur etiam judicio & ope Principum, neendum

---

\* Lib. IV. Cap. 12.

\*\* Lib. 7. Cap. 30.

neendum Christiano nomine & mysterio initiatorum. Purgare se aliquando necesse habuit S. BASILIVS apud DEMOSTHENEM VALENTIS Imperatoris gratia & ministerio conspicuum, utpote Provinciae Praesidem, utque ingestas sibi calumnias abstergeret, ostendere, quanta exaedificasset, Ecclesiam, Aedes Episcopales, diversoria ad excipiendos Praesides ipsos, Xenodochia hospitum, Nosocomia aegrorum, in quaе incredibilis quaedam pecuniae vis exhausta sit. An hinc conjici posset, Imperatorem ipsum consilia agitasse de exigendis rationibus regiminis in temporalibus Episcopalis, haud moramur. Certo enim constat, factum hoc VALENTIS Imperatoris improbatum fuisse, cum nec tam pio Advocati zelo ille aestuaret, nec Catholicos in Episcopos, quos Arianus ille insectabatur, fundata ceciderit suspicio. Iniquum esse exclamavit S. CYRILLVS in Epistola Canonica, adeoque nec tolerandum, ut Episcopi cogantur rationes reddere redditum Ecclesiae, cum uni Deo summo Judici obnoxios illos esse oporteat. „ Magna molestia afficit Episcopos, qui sunt ubique „ terrarum, quod sumptuum, qui illis eveniunt, dispensationis „ ratio ab illis exigatur. Unusquisque enim nostrum dabit suorum „ malorum rationem omnium Judici. „ Secus vero, ubi Episcopi five incuria, five cupiditate nefaria, suo officio deesse comperiebantur, tum ad vigilantiam & integritatem Metropolitan vel Patriarchae provocare mos Ecclesiae tulerat. Canone Antiocheno jubebatur Concilium Provinciale cognoscere de dilapidatione rerum Ecclesiae, si qua ejusmodi infamia conspersi essent Episcopi vel Presbyteri. Si nec Concilium, nec Metropolitanus, nec Patriarcha Canonicam exercet ultionem in suas depraedationes, tunc ad Imperatorem ea de-



volvebatur potestas, ut, qui defensor esset, custos & executor Canorum. Huc praeterea omnia illa pertinent, quae ex aevo Carolingio in hanc rem paeclara superius prolixo satis relatia fuerunt. Ipsi Doctores A. C. addicti, qui qualitatis Principalis & Episcopalis in Magistratu suo distinctionem hodie rejiciunt, hoc ipsum tamen jus Protectionis & Advocatiae praecipue illis attribuunt. Hos inter KLOCKIUS:  
 „ Potius existimandum est, inquit, iura ista Episcopalia ex post facto, per supervenientem consuetudinem Statibus accessisse, aut affirmandum, Principes & Potestates saeculares, siquando — Statuta — ad Politiam Christianam spectantia faciant, ea non tanquam Episcoporum impiorum successores, sed ut Magistratus nomine deseratarum & viduatarum Ecclesiarum, tanquam Nutritios & Educatores earum, & ut imitatores piorum Regum & Principum boni ordinis causa & pio zelo tuendae verae Religionis introducere. „ Idem alio loco repetit: \*\* „ Bona Ecclesiae non sunt ejusdem generis, nec omnia ejus bona Deo sunt dicata, sed ea tantum, quae rite ad ministerium Dei consecrata, unde sacra dicuntur. „ Reliqua vero Bona Ecclesiae non sunt consecrata, ut fundi, postsessiones, & alia, ad ministerium Dei servientium pertinentia; nec sunt sacra, nec Deo dicata, sed sunt in dominio Ecclesiae, cui sunt assignata & donata; „ Plures aliquos ejusdem fuisse opinionis, testatur STOESSERVS: \*\*\* „ Vbi multis Jurium & Autoritatum locis adstruitur, Jure Communi Magistratus saeculares esse Patronos, ac Protectores Ecclesiarum in ipsorum territorio sitarum,  
 „ ita,

---

\* Tract. de Contribut. Cap. X. Sect. I. n. 82. 83.

\*\* Tom. I. Cons. 35. n. 256.

\*\*\* In sua Dissert. de potestate politica circa Sacra. Argent. 1659. Sect. III. th. 13.

„ ita, ut, si Ecclesiae quasi pro derelictis habeantur, incumbat ipsi  
 „ sis, ut nutricis Ecclesiarum, earum curam agere, adque usum,  
 „ cui dicatae sunt, reducere. „ Atque haec quidem de sola Advocacia Majestatica intelliguntur. Caeterae autem Advocatarum species, sive originaria, sive electitia, aut paetitia & conventionalis, sive dativa, Legibus plane specialibus reguntur, quae aliquando etiam jus quoddam proprietatis, certae saltem bonorum & jurium partis, involvunt. \*

### §. XLVII.

Is tamen nolim videri, qui, sicut circa dogmata & internam Ecclesiae disciplinam, ita etiam circa bona Ecclesiastica in solo hoc Jure Advocaciae totam potestatem politicam concludi existimem, vel, ut hodie exaggerare solent, Principem Christianum obsequiosum tantum ad nutum Capitis in Cathedra Ecclesiastica sedentis membrum atque brachium omni imperandi autoritate destitutum, sed cui sola parendi necessitas incumbat, mea opinione constitutum. Juri enim proprio, &, ut vocari amat, Regio locus omnis haud amputatus censetur. Hoc tamen ab eo longe absit, quod jus proprietatis & domaniale dici vel aestimari queat; sed vel in Jus Majestatum & supremam superintendentiam in omnia Collegia Statui subordinata, vel in dominium eminens resolvitur; cui sicut in casibus necessitatibus

I 3

cessitatis

---

\* Generatim certa regula de iuribus horum Adiutoriorum vix statui posse videtur, sed propterea diplomata iis concessa inspicenda, quamquam & haec multis controversis involvi quotidiana experientia testetur.



cessitatis publicae bona privatorum subditorum, salva manente ipsorum proprietate & dominio privato, subjacent, ita & Collegiorum aliorum saecularium in eadem civitate existentium. Huic itidem ute pote inabdicabili omnino, casu revera existente, nec societates Ecclesiasticae, vel Religionis causa institutae, consequenter nec res earum temporales penitus subtractae esse possunt. Ex privilegiis autem & favoribus Principum & reliquorum membrorum ipsorummet consensu vel expresso vel tacito beneficium quoddam ordinis obtinuerunt.

### §. XLVIII.

Potestatis certe legislativae Principis hic effluxus censeri debet ipsa Societatum Ecclesiasticarum in suam ditionem atque civitatem receptione. Inde quoque profluit conditionum atque legum, sub quibus domicilium illis concedere intendit, praescriptio & privilegiorum, praerogativarum atque favorum singularium determinatio. Horum enim concessione easdem a legum quarundam aliis civibus incumbentium observatione ex causis bonum ipsum commune respicientibus atque promoventibus eximit, atque ab universali aliorum sorte & conditione per favorem extrahit singularem, quod utique nemo alias, nisi legislator ipse & conditor iuste sibi adrogare poterit. Quoad bona praecipue saecularia posthac adquirenda eidem legislativae potestati quam maxime subest societas quaelibet Ecclesiastica, ut legibus conditionibus formis quoad certas personas compacientes praescriptis omnino instar aliorum civium adcommodeare se debeat. Imo quamvis per ipsam receptionem in civitatem quoad dominium privatum adipiscendum aequali cum aliis sive individuis sive corporibus pronatis

fanis tanquam personis moralibus jure in regula gaudere debeat; aliquae tamen causae speciales felicitatem totius concernentes, se posita etiam qualibet aemulatione aut odio irrationabili, cuius suspicio a quolibet Imperante civili abesse praesumitur, suadere possunt, ut arctioribus limitibus, quod lege amortizationis vulgo dicta fieri solet, adstringatur, atque idcirco ad observandas licet alias omnes leges paratissima ab acquirendo sive per actus inter vivos sive mortis causa impediri & prohiberi possit. Unde & consequitur potestatem iudicativam saecularem in causis saltem realibus parvamente contra eandem Ecclesiam vel societates Ecclesiasticas fere exserere; quam maxime vero quoad bona per testamenta vel legata pia Ecclesie vel societatibus Ecclesiasticis per pios fidèles laicos reflecta, atque iisdem de novo acquirenda. Quamvis enim testamenta pia per Ius Commune in nostro Imperio receptum a solennitatibus Iuris IVSTINIANAEI immunita censeantur; Iudicaria tamen saecularis potestas, vtpote, cui persona defuncti per haereditatem repraesentata, aut persona haeredis laici ad legatum praestandum adstricti subiacet, secundum istud super valore pronuntiandi ius & autoritatem habet, sicut & in possessionem prius immittendi quam salva quiete & tranquillitate publica ausu & Marte proprio nemini in Republica occupare atque praecipere liberum licitumque censemur.

#### §. XLIX.

---

\* Conf. Authentica duarum Constitutionum Celsissimorum Principum IOAN. PHILIPPI & ADAMI FRIDERICI piiss. mem. declaratio per Rescriptum elementissimum modo feliciter regnantis Celsissimi FRANCISCI

## §. XLIX.

Executivam autem potestatem intra eandem sphaeram, intra quam legislativa fundatur, salvis rursus quibusdam praecipuis favo-

LVDOVICI de vigesima nona Decembriis mcccxxxiii. edita: Dem-  
nach bey Gelegenheit einer von unserm Herrn Regierungs-Vorhaben  
üblichsten Gedächtniss des Fürst-Bischofen Adam Friderich zur Behebung  
eines zwischen Unserer geistlichen Regierung und Unserm Land-Gerichte  
entstandenen Widerspruchs, die Obsignirung geistlicher Verlassenschaften  
in bürgerlichen Häusern betreffend erlassenen gesetzgebenden Verordnung  
am 17ten December 1776. unter andern auch miteingeschlossen: „Dass  
„das Land-Gericht bey Eröffnung weltlicher Verlassenschaften, die es  
„wann ad piis causas verschaffen Legata, oder sonstigen fromme Ver-  
„mächtinisse zur Geistlichen Regierungs-Cognition zu überlassen gehalten  
„seyn solle.“ Nun aber über den eigentlichen Begriff und Sinne die-  
ser Stelle einiger Anstand sich ergeben: ob nämlich dieselbe jene von Un-  
serm Herrn Regierungs Vorhaben Fürst-Bischofen Johann Philipp gleich-  
falls üblichsten Gedächtniss dato 19ten Decembriis 1705. schon vorhan-  
dene und in solcher Bereffniss klares Ziel und Maas gebende Bestimmung  
in seinem Wesen habe abändern und das gerade Gegenheil von soeben Ge-  
setze dergestalten festsetzen wollen, dass dasselbe dadurch völlig aufgehoben  
und unkrautig seyu solle; wesbalben denn Unsere authentische Interpre-  
tation ins Mirel zu legen erforderlich seyn will.

Als erklären und respective verordnen Wir andurcb, dass es, so viel  
die Land-Gerichtliche Jurisdicition über die Testamenta und Legata ad  
pias causas Licorum hielanger, bey nurgedachten Johann Philippischen Re-  
sponsi von 1705. und der sich darauf gegründeten Observanz feruerweit  
sein unwandelbares Verbleiben haben solle; bingegen die oberwähnte newer-  
liche

ribus atque privilegii, sejunctam esse hand posse, in aprico est.  
Sine hac enim illa vana & iutilis plane evaderet. Praeterea in iis  
etiam negotiis, quae ad sphaeram Ecclesiasticam pertinent, eadem  
Jus illud Protectionis & Advocatiae Majestaticae, de quo antea ani-  
madvertisimus, constituit. Ecclesia enim tanquam inermis ac debilis  
in suis Ordinationibus extensam disciplinam & Politiam concernen-  
tibus, & vel ideo simul felicitatem subditorum temporalem invol-

K venti-

liche Kabinetts-Verfügniß von 1776. dabin zu versteben sey, daß, nachdem  
der zur Land-Gerichtlichen Gerichtsbarkeit im Gemäßbeiz vorberührten  
Johann Philippischen Gesetzes gehörige Gegenstand rechtlich ausgetragen,  
und begelegt worden ist, das Land-Gericht derley fromme Testamente  
und Vermächtnisse sowohl ad Executionem als auch ad Cognitionem über  
alle ratione execucionis erwa vorkommen mögende Fragen und Anstände an  
die Geistliche Regierung zu überlassen gehalten seyn solle &c.

Anbey wiederholen Wir bieber und bestätigen dasjenige nochmalen  
durch gegenwärtiges Rescript, was Wir in Unserer Resolution vom 10ten  
Novembr. a. curr. auf den unterm 24ten Octobr. an Uns erstatzeten Land-  
Gerichts-Bericht gnädigst entschlossen, und der geistlichen Regierung zur  
Nachricht bereits obnverhaisen haben, vermöge welchem versehen wor-  
den, daß nach Innhalte der Land-Gerichts-Ordnung P. III. Tit. 71. einem  
Executori Testamenti ad piis causas, er mag eine geistliche oder weltliche  
Person seyn, die Verfertigung eines Inventarii zuzukommen, überbaup  
aber das Land Gericht in der Ausübung des Amts solcher Executoren, sich  
allerley andern profanen Testamenten nicht gebräuchliche Hand-Einschla-  
gungen und Hindernisse zu erhalten habe.

Immireß sollen vorerwähnte Executores quod officium Executionis un-  
ter der Geistlichen Regierung zustehen, und desselben über die Verwal-  
zung ihres Amtes gewissenhafte Rechenschaft zu geben verbunden seyn &c.

ventibus vel attingentibus, sine assistentia, brachio, adjumento & executione Magistratus saecularis nihil proficere potest. Haec ipsa etiam ratio praecipua est illius necessitatis, quare Sacerdotium ad conservandam ambiendamque modis omnibus Imperii concordiam se obstrictum videat, & haec opportunissimum pariter medium suppeditat Imperio, sive Principi, ad Sacerdotium suo in officio conti- nendum quoad administrationem bonorum Ecclesiasticorum, vel piis causis in suo Territorio existentibus addictorum. His enim tanquam Advocatus & Tutor assistit, imo & ad jura tuenda & felicitatem subditorum suorum, qui inde utilitatem & commoda partim spiritualia, partim temporalia, expectandi titulum sive justitiae, sive congruentiae, honestatis & aequitatis habent, procurandam. Inde in acceptandis & admittendis, confirmandis Societatibus Religiosis, sive fundationibus piis in Dioecesi in alienum Territorium saeculare excurrente, aut iisdem mutandis & insigniter innovandis consensus Principis mediante amica & modesta cum ipso communicatione praeteriri atque omitti vix poterit.

### §. L.

Sed ex necessitate consensus requirendi & impetrandi nulla est ad *comparticipationem* proprietatis & condominium conclusio, ut permultis aliis exemplis analogis illustrari poterit, quibus Germania nostra abundat. Germani enim, quemadmodum ab origine gentis nec omnimodam libertatem ambiverant, sic nec perferre poterant absolutum imperium, multo minus despoticum; moderatum solummodo & limitatum regimen ad eorum palatum fuerat. Inde & Reges

Reges Germanorum Carolingici, licet domini haereditarii fuerint totius Regni Germanici, attamen, ut in obsequio debito tutius firmiusque continent populum, non absoluta usi fuere potestate, sed limitata admodum & moderata, dum in rebus arduis Regni, & exercendis judiciis in causis magni momenti, nec non in exercendis variis iuribus majestaticis consilium primorum populi tam Ecclesiasticorum, quam saecularium, adhibebant in Comitiis, Curiis, & Placitis eatenus institutis.\* Horum Statuum Regni Germanici jura successive per pacta, privilegia & leges magis magisque fuere aucta, ita ut votum consultativum, alias a Statibus petendum, mutatum fuerit in votum decisivum, & inde enata est magna illa Statuum in rebus Imperii auctoritas, qua hodie adhuc sunt muniti, salvis tamen Sacrae Caesareae Majestatis reservatis. Et hi quidem reapse hodie in gubernando Imperio coimperii speciem quandam succedaneis gressibus obtinuerunt. Ad Normam fere Regiminis antiqui hujus Regni Germanici universalis ante exortam posthac per fata & vicissitudines temporum superioritatem Statuum Territoriale effigiatum quoque fuit Regimen Principatuum particularium tam Ecclesiasticorum, quam saecularium. Nam novi domini territoriales, tam saeculares, quam Ecclesiastici, in negotiis arduis adhibuerunt quoque consilia primorum territorii tam Ecclesiasticorum, scilicet Abbatum & Praepositorum, si tales in territoriis eorum extiterant, quam saecularium, scilicet Officialium haereditariorum, ministerialium, Vasallorum, & reliquorum ingenuorum ex ordine militari, vel civico, praedia possidentium.

K 2

Vel

---

\* Conf. PFEFFINGER in Vitr. illustr. Tom. I, pag. 73, & 169.

Vel enim nativae libertatis congenitus Germanis amor, vel ipsa exempli Principum suorum imitatio ansam iis praebuisse videtur, ut, sicut Principes Despoticum Imperatorum Regimen tolerare noluerunt, ita & populi a Principum eorundem dominatu illimitato se defendarent, atque securos redderent; quin tamen conregimen aut condominium unquam affectaverint, minusque obtinuerint. Salva enim Superioritatis Territorialis Principi privative competentis substantia ejus tantum exercitium in certis arduis articulis moderari intendunt, ne in destructionem felicitatis subditorum & oppressionem totalem libertatis vergere posset. A nemine tamen Juris Publici particularis Consultorum exinde erui contenditur, quod Status Provincialis in illis Principatibus, tam Saecularibus, quam Ecclesiasticis, ubi se adhuc conservarunt, habeant condominium territoriorum & administrationem horum Principatum, quia ad exercitium quorundam regalium cum domino territoriali suis suffragiis concurrunt, quae in rebus arduis debent audiri, sed potius dominium utile, & omnis superioritas territorialis penes solos est Principes saeculares, vel Archi- & Episcopos. In ditionibus Ecclesiasticorum permultis, ubi reliquorum Statuum Provincialium influxus omnis cessavit, ac fere eorundem memoria interiit, Reverendissimi ac Celsissimi Principes consensus ab Illustrissimis Capitulis imperrandi necessitatem in negotiis arduis a Jure notatis luculenter agnoscunt; conregimen tamen hodie dum acriter controvertunt. A similibus aliis Juris privati exemplis, quae alioquin satis nota esse supponuntur, studiose abstinentum existimo. Aequo parum, quando consensus a Domino territoriali intuitu bonorum Ecclesiasticorum vel acquirendorum, vel applicandorum, & ma-

xime

xime immutandorum requiritur, Ecclesiae & Sacerdotio proprietas repraesentativa & solitaria ac plena disponendi facultas exinde dengatur, sed modus exercitii praescribitur, & administrandi facultas ad certos limites coarctatur. Superioritas Territorialis non concurreat in participatione condominii & proprietatis, imo nec coimperii, ant quaedam potestatis Episcopalis ipsi pariformiter competentis communio adseritur; sed quia ipsius interest, Societas Religionis causa institutas, in suo territorio receptas, ejusque Tutelae commissas, quae ad felicitatem reliquorum etiam subditorum concurrunt, atque contribuunt, non damnificari, fines illarum, quos saluti publicae temporali subditorum Superioritas Territorialis plurimum proficuos existimat, non interverti, aut mediis necessariis non deflui. Jusstissima certe haec sola reputari potest consensus Territorialis interponendi, neque ex altera parte praetermittendi ratio. Quamdiu enim sibi suisque subditis aliquid utilitatis publicae inde auferri suspicatur, consensum hunc suum denegari, vel executionem & adjutri-  
cem manum subtrahi quis succensere poterit?

S. LI.

Sed toti huic per partes singulas enumeratae authoritati Imperii aut Magistratus Saecularis ea, quam asserimus Sacerdotio Episcoporum sive Praefulum Ecclesiae, potestas nullatenus praejudicatur, aut in aliqua parte derogat. Ex iisdem enim principiis universali- bus, quibus Catholicum distincti & diversi a politico regiminis Ecclastici dogma sive principium ab imputata Status in Statu confusione vindicare solemus, haec etiam ejusdem pars dijudicanda venit. Potestas enim civilis respectu ad salutem totius civitatis



habito circumscribitur, Ecclesiastica tanquam dominium privatum ac proprietatem, vel potius administrationem & usum fructum exercens ad salutem spiritualem fidelium & cultus divini, qui hominum a sensibus externis dependentium naturae conveniat, conservationem eadem applicare intendit. Ex hoc sine ejusdem est, ne quid in detrimentum Cultus divini praecipue ab illis suscipiatur, quibuscum ceu adiutoribus suis & Ministris hanc curam suam divisit. Finis ille obtineri non poterit, nisi jure inspectionis in temporalia ejusdem gaudeat, & omnium eorum, quae in Ecclesia ipsi ad regendum commissa peraguntur, & in finem ejus influere possint, exactam petere notitiam liceat; nisi de administratione dotis Ecclesiae rationes exigere queat, cum dote exhausta omnis Ecclesia pereat, ad quam conservandam obligatur, ne dote Ecclesiae male administrata sumitus in cultum divinum, sustentationem Ministrorum, extirptionem vel conservationem sacrarum aedium e patrimonio Ecclesiae erogandi deficiant. Praeterea Episcopus de vita & honestate Clericorum vi muneric a Christo ipsi demandati, inquirere tenetur; sed ad quid cura ista pastoralis, nisi de mala provenientium administratione reddituumque dispensatione tanquam primo omnis luxuria, omnisque irregularitatis fonte cognoscere ac statuere possit? ad quid cura pastoralis, si fundatio, si dos Ecclesiae, cui omnis disciplina superfructa est, perierit? Porro singularem hac in re regularium Status animadversionem meretur. Non enim in his tantum, sicut in caeteris Clericis saecularibus, prodigalitas, & mala redditum Ecclesiasticorum in profanos usus dissipatio eradicanda, & parsimonia frugalisque simplicitas clericalis restituenda venit; sed veterum etiam, praesertim paupertatis, quod abusu reddituum

temi-

592

temporalium maxime violatur observatio, inflauranda est, ut enim a Superioribus eorum dissipatione infringitur, ita facultatibus domus deperditis in subditis necessario periclitatur. Ulterius connexa ad ejusdem curam pertinere congruit, ne, dum distrahitur in plures, enascatur confusio, & unus alterum impedit. Sunt vero plurimum connexa inter se officia spiritualia & temporalia in Ecclesiasticis; ergo plurimum congruit ambo ad ejusdem curam Antislitis pertinere. Praedclare hanc in rem RATHERIIS quondam Veronensis Episcopus in Tractatu suo de contemptu Canonum \* jure merito contestatur, cum Pastor esset, providentiae etiam suae esse, ut gregem suum Clerumque temporali etiam cibo alat, quo tamen officio suo fungi non posset, si rerum & redditum Ecclesiae suae dispositio ipsi subtrahatur. Nam dispositio in spiritualibus seu sacris recte, tranquilleque per Ecclesias instituenda est finis ille, ad quem temporalia Deo dictata veluti media quaedam necessaria unice destinata sunt; qui vero finis est concessus, huic & media commissa statuuntur, ita rerum natura dictante. Ubi illud singulari ponderatione dignum censem, quod, si Praelatis & Rectoribus Ecclesiarum temporalium administratio adimeretur, aut constringeretur immodice, spiritualium dispositio plurimis esset involvenda impedimentis, ut experientia vivacissima eos docet, qui, non quidem externa potestate, sed infausta egestate pressi suis subditis Clericis non possunt imponere onera, quae alias deberent, aut imposita pro viribus urgere. Naturali igitur ratione convincimur, necesse esse, ut, cui personarum debite colloquandarum & regendarum cura incumbit, eidem & corporalium ne-

---

\* THOMASS. de Vet. & N. Eccl. Discipl. P. III. Lib. II. Cap. 8. num. 8. alle. gans d'Achery Spicileg. Tom. 2. pag. 165.



necessitatum incumbat sublevatio. Accedit, quod Episcoporum potestas intuitu suae Dioeceseos generalis ac illimata dicenda hau deforet, si pars disciplinae Ecclesiasticae politica, vel potius oeconomica, eorum facultati cognoscendi & statuendi subtracta esset. Denique, sicut tota regiminis Ecclesiastici indoles ex ipsa Christi institutione hierarchica est & in diversos superioritatis gradus distincta; ita haec quantacunque immediatorum Superiorum in administrandis redditibus potestas, aliis mediatis per gradus suos servatoque ordine subordinata sit oportet.

### §. LII.

Ex his igitur omnibus strictim tantummodo recensitis prona conclusione inferre licet; si vel maxime a Principiis Canonicis, a Politia Ecclesiae inde ab Apostolis ad nos usque derivata, a Sancti- nibus perpetuis Ecclesiasticis, & Conciliorum non minus, quam Juris Romani ac omnium fere Regnorum Catholicorum abstrahere velimus; Authoritatem & Superintendentiam Episcoporum saepissime laudatam, Observantia & Legibus domesticis Imperii Nostris Romanis Germanici abunde firmatam stabilitamque esse. Quantaeunque demum varietas in particularibus quibusdam Provinceis observeatur, sive ipsorummet Episcoporum, tanquam Principum & Dominorum simul Territorialium in propriis suis ditionibus, sive in extraneis ad suam Dioecesin quoad spiritualia & Ecclesiastica pertinenteribus. Prior specialibus Ordinationibus Ecclesiasticis corundem Episcoporum, tanquam simul Principum & Dominorum territorialium, nititur, vt compendiosior via servaretur, & coniuncta statim personali praesentia utriusque Officialis Eundem Dominum sub una

&amp;

& altera qualitate repraesentantis eo promptior esset medela, defectum unius vel alterius spontanea agnitione, & emendatio, in alios vero ejusdem Domini subditos, sive colones, sive debitores, efficiacior exactio. Neque tam propinquum hic periculum subest, sive dissidiorum, sive impedimentorum, quorum conjunctio illa & communio vitio hominum mater esse solet. Illa enim ejusdem Principalis constituentis religio, pietas, prudentia & authoritas facillime praeverttere, sanare aut compescere sciet atque valebit. Altera vero & posterior varietas sequioribus deinceps saeculis, quae post Superioritatem Territorialem Statibus Imperii acquisitam, & maxime post dissidia Religionis in Germaniam nostram inducta, in punto Jurisdictionis sine ullo majori Reipublicae emolumento indies zelosiora evaserunt, per Pacificationes & Leges publicas, per speciales Recessus & concordias, fere semper tamen Ecclesiasticae potestatis restrictivas, introduci coepit. Hae autem tanquam particulares & ex particularibus plerumque occasionibus & causis initiae, universo Imperii systemati atque observantiae, aut caeterorum non compacifcentium juribus & authoritati nullum inferunt praejudicium aut detrimentum.

### §. LIII.

Novi equidem, novum hodie idolum adorari, quod Jus publicum universale nuncupare amant. Ex Philosophia, ut vocant, practica ejus Principia deducunt, & in positivas etiam, Jurisprudentiae praesertim publicae nostri quoque Imperii Rom. Germanici intrudere conantur. Quamvis vero is non sim, qui omnem Philosophiae hujus & ratiocinationis usum e Scholis juridicis eliminatum

L

velim;

velim; ut argumenta ex eodem fonte jam deponita & per superiores  
Sphos dispersa satis testantur. Ejus tamen insignem abusum in  
magnum Jurisprudentiae positivae, praesertim Publicae Germanicae,  
damnum nostro aevo nunc vergere Celeberrimi Jurisconsulti ejus  
alias Patroni praecipui haud diffitentur. Naturalismum Juridicum  
hunc vocat NETTELBLATT. \* Clarissimus DE SELCHOW hanc cogi-  
tandi & agendi rationem ubique praedominantem contagiosis nova-  
tientis facculi nostri doctrinis adnumerat: *Allein, ait ille: \*\* es*  
*ist Modeseuche unseres Jahrhunderts, und bald, fürchte Ich, wird*  
*ein neuer Apostel Paulus nöthig seyn, der seinen Lehrlingen im Staats-*  
*Rechte die erste Regel zurufen mögte: Lasset euch nicht verführen*  
*durch die Philosophia.* \*\*\* Eo nimurum doctrinae ejusmodi collimant,  
ut loco receptarum unanimi Statuum consensu hactenus legum Imperi-  
i & observantiarum nova sua speciosa adinventa criteria & ratiocini-  
nia obtrudant & se quasi Dictatores efferant sub specioso rationis  
cohaerentioris obtentu, & sic arbitrarium quendam Despotismum  
inducant. Ingens sane malum est in Republica & magna quadam  
civitate nihil satis firmum ac stabile relinqu, sed quotidie novis  
vicissitudinibus velut vento agitari. Rupto enim semel aggere le-  
gum

---

\* In seinen Erörterungen einiger einzelnen Lebren des reichen Staats-Rechts.  
Abhandl. 2. §. 4.

\*\* Im 2ten Stücke des 5ten Bandes der Juristischen Bibliothek anno 1781.  
Seite 218.

\*\*\* Vid, in MOSERS Abhandlung verschiedener Rechtsmaterien. 18tes Stück.  
Seite 363. §. 2.

§. 92

gum receptarum, & quae earum vim habeat, antiquarum obser-  
vantiarum ineluctabilibus opinionum & mutuarum praetensionum  
torrentibus & fluctibus Rempublicam obrui, rupta compage ac vin-  
culo unitatis, quod lex & sistema receptum est, hanc dissolvi, sta-  
tus diversos tanquam membra ejusdem magni corporis inter se com-  
mitti, collidi, atque huc illuc discerpi necesse est, si cuique  
contra Constitutionem Imperii antiquissima jam observantia robo-  
ratam pro sua voluntate ac privata saepe imaginaria utilitate suae  
ditionis contrarium in rebus hisce statuendi atque abolendi in-  
tegra relinqueretur libertas.

#### §. LIV.

Episcopis ejusdem Imperii consortibus atque Constatibus Di-  
gnitates, praerogativa & iura sua, tam profana quam sacra & Ec-  
clesiastica, per Leges ipsas publicas & fundamentales firmata sunt.  
Imperator ipsemet in Capitulatione sua adstringitur, ut horum quo-  
que, sicut aliorum Statuum, autoritatem tam sacram quam profa-  
nam manutene, & contra omnes conatus adversarios defendere  
atque tueri se velle promittat. Aliis saepe Statibus in alieno vicini  
cujusdam territorio certorum Regalium Jurium, uti centenae vel  
vectigalium exercitium speciali titulo competere non est insolitum,  
atque hoc probato legum earundem publicarum munimine plena  
eorundem securitas praefatur. Episcopalia vero ejusmodi jura spe-  
ciali quadam probatione non indigent tanquam alioquin per Jus in-  
tegrum Dioecesanum, per leges publicas receptum, plenissime compro-  
bata atque notoria, nisi in territoriis Protestantium & respectu sub-  
ditorum



ditorum ejusdem Religionis suspensio obstat. Intuitu Catholicorum enim subditorum vel Monasteriorum in territoriis Aug. Conf. Statuum Catholicis relictorum ipsa saltem possessio anni Normalis, quae ex eorundem exercitio publico Religionis iam fundata censemur, Episcopis salva relinquitur. Si nullus alius titulus, nisi sola possessio immemorialis, suffragaretur, quamdiu constitutio Corporis Politici Imperii ejusque fundamenta penitus subverti non voluerint, haec quoque incolumis atque imperturbata persistat necesse est. Secus enim his insuper pensique habitis & arbitrario superioritatis territorialis ultra limites legibus Imperii fundamentalibus ejusque communis inter Catholicos Constatus observantia immemoriali positos extentendae pruritu eversis nulla nec Statui Politico nec Ecclesiastico & Religioni securitas vel pacifica & tranquilla jurium saorum fructio supererit. Et ab aequali hoc eversionis suae fato reliqui etiam Constatus faecularis Ordinis, quibus ad sui defensionem contra vias facti a vicinis potentioribus attentari solitas sufficiens proprietarum virium praesidium deest, haud longe diuque se abesse posse facile emperient.

F I N I S.

---

**ULB Halle**  
007 366 752

3




VD 18





# Farbkarte #13



1789 1  
333  
6

DISCVRSVS POLITICO-CANONICVS  
AVTHORITATEM  
SACERDOTII  
IN TEMPORALIA ECCLESIAE  
CANONE ET LEGE PERPETVO TVTAM  
IMPERIO INNOXIAM SISTENS.

QVAM CVM SVBIVNCTIS  
EX VNIVERSO IVRE COROLLARIIS  
PRAESIDE

PLVRIMVM REVERENDO, MAGNIFICO, CLARISSIMO ET  
CONSVLTISSIMO VIRO AC DOMINO

D. IOANNE NEPOMVCENO  
ENDRES,

SS. THEOL. ET I. V. DOCT. REVERENDISS. AC CELSIS. S. R. I. PRINCIPI ET EPISCOPO BAMBERG. ET WIRCEB. FR. OR. DVCI A CONSILIIS  
INTIMIS ET ECCLESIASTICIS, INSIGN. ECCLES. COLLEG. AD VTRVM-  
QUE SS. IOANN. IN HAVGIS CAN. CAPITVLARI, IN ALMA NOSTRA  
IVLIA SS. CANONVM PROFESSORE PVBL. ET ORDIN. FACVLTATIS  
IVRIDICAE ET TOTIVS VNIVERSITATIS SENIORE,

PRO DOCTORIS GRADV  
EMITTIT

WILHELMVS SARTORIVS,  
PHILOS. DOCTOR, INSIGNIS ECCLESIAE COLLEGIATAE AD S. SIMEONEM  
TREVIRIS CANONICVS, SS. THEOLOGIAE ET IVRIVM CANDIDATVS  
EMERITVS,  
TRIBVS EXAMINIBVS RITE TENTATVS ET ADPROBATVS.

WIRCEBURGI IN AUDITORIO IVRIDICO  
DIE 25. MAI ANNO MDCCCLXXXIX.

Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Vniuersitatis Typographi.